

THEOL.
MUSEI

MS
1
10



Dies muß 11

2.

Disputationes Theologicae

QUIBUS

THEOLOGIA

Id est

Doctrina de Deo eiusque
attributis de Personis & Operibus divinis

EXPLICATUR

TRES

In Academia Hasso-Schaumburgica

publica Disquisitioni exposita

Auctore & Præside

Henrico Martino Eccardo SS. Theol.

Doct. & Professore Ordinario.



Rintelij, Imprimebat typis Petrus Lucius, Academiae Typogr.

CLC LCC LV.

Generoso & Nobilissimo VIRO
Domino Ottoni Wilhelmo
de Cornberg,
Hæreditario in Lübeck,
Ac Serenissimi & Celsissimi Principis ac DOMINI
DN. WILHELMI Hassiæ Landgravij, &c.
Satrapæ in Auburg,

*Domino Mæcenati & Patrono meo omni
observantiæ cultu ætatem pro
sequendo.*

Generose & Nobilissime VIR

SI seculo post Christum natum Octavo ejusmodi Ecclesie fuerit facies, ut Venerabilis Beda verè scripserit: Videat Lector, nec sine lacrymis rem lacrymis dignam contempletur, quantum Ecclesie status ad pejora quotidie, vel ut mitius dicam, ad inferiora gerenda devolvatur; sanè quis hodiernum Ecclesie statum sine lacrymis intueri poterit, ubi mala malis ita sunt cumulata, ut iis pejora addi posse haud videantur?

Taceo nunc calamitates, quas Ecclesia tum ab hæreticis, tum ab infidelibus maximè autem à Muhammedanis

danis à multis annis patitur, magis
profectò deploranda sunt intestina Ec-
clesiæ bella & schismata, quibus
Christiani non sine ingentibus odiis
hodie à se invicem sunt divisi, imme-
mores prorsus divini illius præce-
pti, quo ipsis caritas, quæ vinculum
est unionis, etiam atque etiam in sa-
cris literis commendatur. Certum
autem est, Romani Pontificis am-
bitionem & dominandi cupiditatem
præcipuam dissidii esse causam. Si-
cut enim illa pulcerrimam unita-
tem, quæ inter Orientalem & Occi-
dentalem Ecclesiam fuit, dudum sci-
dit & abrupit, ita quoque fecit, ut
à centum annis & quod excurrit, si

non latius gravius tamen schisma in
hoc ipso Occidente nostro enatum sit.
Cum enim Majoribus nostris ab a-
gnitâ veritate discedere religio esset,
Pontifices verò excommunicationū
& sœvitie finem facere nollent, fieri
aliter non potuit, quin reformatio no-
vo schismate redimeretur. Gaude-
mus tamen & Deo maximas agimus
gratias, quod inter tot abusus, super-
stitiones & corruptelas, quibus san-
ctissima Christi religio sequioribus
seculis inquinata est, præcipua fidei
capita, quæ cuiusvis homini præsertim
è vulgo fidei ad salutem sunt necessa-
ria, in medio papatu intaminata mã-
serint. Nam ea saltem dogmata labe-

factata

factata & interpolata esse videntur,
quæ ita se habent, ut ad amplifican-
dam Pontificis & Cleri potestatem
atque auctoritatem & ad quæstum
faciendum torqueri commodè potue-
rint. Quibus meritò accensentur do-
ctrina de pœnitentia hominum in pec-
cata prolapsorum & Sacramentum
Eucharistiæ, quæ cum in aucupium
pecuniæ convertentur, atque ex iis in-
estimabiles, ineffabiles & supercæ-
lestes divinis pares eminentiæ & di-
gnitates in Pontificem ejusque Clerũ
derivarentur, magnam vim & inju-
riam passa sunt. Quoniã itaq; Theo-
logia in specie sic dicta, i. e. doctrina de
Deo ejusq; attributis, de personis &
operi-

operibus divinis, quam Clarissimus
Præses hisce Tribus Disputationib⁹
exposuit, in eorum censũ veniat, quæ
quæstui & potentia Pontificia haut
inserviunt, hinc Dei beneficio factum
est, ut illa quoque integra & illibata
permanserit, nisi quòd nonnullæ ocio-
sæ & curiosæ quæstiones à Scholasti-
cis ei fuerint admixtæ. Quòd verò
has ipsas Disputationes, quarum multi-
mæ ego Respondentis partes sustinui,
Tuo Nomini, Generosæ & Nobilissime
Vir, inscripserim, ad id audendũ me
invitarunt propensissima, quã cum
me tum meos & consanguinitate &
affinitate mihi conjunctos prosequeris,
benevolentia, & quæ inde in nos

pro-

profuunt, magna beneficia. Hoc igitur munusculum (si tamen eo nomine venire meretur) ut tanquam debite gratitudinis indicium benevolentia aspicere idque non tam ex sui dignitate quam offerentis animo aestimare velis vehementer oro & obtestor. Vale Mæcenas Optime, divitissime, & bonum publicum porro felicissime procura. Dabam ex Academia Hasso-Schaumburgica pridie Kalend. Aprilis, MDC LV.

Generosæ Nobilit. Tuæ

Devotus Cliens

Johannes Henricus Grathaus /
ultimæ Disputationis Resp.

Deu
1.8
2.8



Disputatio Theologica

DE

DEO ejusque Attributis.

Resp. M. FERDINANDO Kenser.



DEI cognitione acturi præmittimus, quod-
tuplex ea sit; scilicet (1) ex Natura (2) per
Revelationem (3) pervisionem.

Prima & secunda DEI cognitio in hac vita
nobis obtingit, tertia in alteram reservatur.

De revelatâ & beatificâ Dei cognitione agit Theologus tantû,
de naturali Theologus & Philosophus simul. Etenim quæ sa-
cris literis continentur, in duplici sunt differentiâ; Quædam
sunt absolutè & simpliciter Theologica, ut sunt Articuli fidei,
qui non nisi ex revelatione innotescunt. Quædam non sunt
simpliciter theologica, sed saltem secundum QUID, in quan-
tum videlicet revelata sunt, & sub eâ ratione eis assentimur.
Interim cum etiam aliundè cognosci queant, respectu illius,
qui vel ob rei evidentiam, vel ob aliam rationem iis assensum
præbet, non Theologica, sed aut Philosophica, aut talia sunt,
quæ humanam cognoscendi facultatem non excedunt. Ex
horum censu sunt præcepta virtutum moralium, & divinæ ef-
sentia cognitio, quæ, etsi revelata sunt, nihilominus tamen ex
lumine naturæ sciri possunt, uti hoc posterius ipse Apostolus

et immortalitas animæ

*Deum esse ex lumine naturæ cognosci potest. 2by modis, scilicet
1. Ex intuitu et consideratione hujus aspectabilis mundi, & universi
2. ex testimonio conscientia. Rom. 1.*

*Dei ipse
universi ipse a*



fatetur Roman. I. vers. 20. *Ipsius (DEI) invisibilia jam inde à condito mundo ex rebus factis intellecta pervidentur, aeterna videlicet ejus tum potentia tum divinitas.*

II. Hoc ipso autem, quòd Deus ea, quæ aliàs ex lumine rationis de ipso cognosci possunt, in sacris literis revelavit, imbecillitati humanae subvenire voluit, ut sic & perfectius, & ab omnibus etiam simplicioribus cognoscerentur. Nam et si Deum esse omnibus quæ doctis, quæ indoctis notum ac insitum est, ita ut rectè Cicero dixerit *nullam gentem nec tam feram, nec nec tam inmansuetam esse, quæ non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat;* tamen Quid Deus sit, quoniam ex discursu sæpè difficili innotescit, non omnibus, sed eruditis saltem, qui unum ex alio colligere & consequentias necere norunt, obvium & cognitum est. Accedit quod Philosophi gentiles divinâ revelatione destituti veræ Dei cognitioni multa falsa imò Idololatrica admiscuerint. Omnem itaque difficultatem omnesque errores naturali Dei cognitioni aliàs adhaerentes tollit divina revelatio.

III. Omnium Primo Deum esse supponimus potius, quàm demonstramus. Idenim ex intuitu hujus mundi, omnibus tam notum est, ut nihil possit esse magis. Hinc Paulus testatur Act. XVII. 27. *tam longè eam ab unoquoque nostrum non abesse, ut non palpando etiam inveniri possit. In ipso enim nos vivere, & moveri, & esse &c.* Itaque ad alterum nempe ut, Quid Deus sit ostendamus, statim progredimur.

IV. Cognoscitur autem hoc ex attributis divinis, quæ nihil aliud sunt, quàm Essentialia Dei prædicata. De quibus antequam agamus sciendum est, Primo: Ea tum ab Essentiâ tum à se invicem non nisi ratione distingui: nam cum essentia divina res simplicissima sit, fieri non potest, ut in eam ulla realis

lis

lis aut compositio aut distinctio cadat; rationis autem distinctio pariter ac compositio, quoniam in intellectu non in ipsa est, simplicitati Dei haut obstat. Secundò observandum est, cum attributa divina ex lumine rationis probantur, id non fieri per causam formalem, & propriè ita dictam, sed per causam virtuales, quam ad demonstrationem sufficere rectè Philosophi docent.

V. Coeterum attributa divina in duplici sunt differentiâ: Alia sunt Negativa, ut: Esse immensum, infinitum, immutabile &c. quæ viâ negationis seu remotionis, quâ imperfectiones creaturarum à Deo removemus, cognoscuntur. Alia Absoluta & Positiva, ut: Esse Bonum, justum, sapientem, potentem, intellectu & voluntate præditum &c. quæ viâ eminentiæ, quando videlicet omne illud, quod perfectionem aliquam in creaturis importat, Deo perfectiori & eminentiori modo tribuimus, cognoscuntur. Alia sunt Relativa, ut: Esse creatorem, conservatorem, gubernatorem &c. & hæc viâ causalitatis, quâ ex effectu causam colligimus cognosci dicuntur.

VI. In specie nunc singula Dei attributa consideraturi, ab unitate initium facimus; sit itaque Prima conclusio: DEVS EST VNVS. Ubi notandum, unum esse vocem æquivocâ, vel enim accipitur absolutè, prout negat divisionem Entis in se, & admittit multitudinem ac consortium aliorum. Hoc modo, quilibet homo est unus: Deinde sumitur quasi respectivè, prout idem est, ac solitarium, & unicum sive unum tantum, & negat consortium aliorum. Posterior acceptio est hujus loci. Ex lumine rationis unitatem Dei sic demonstramus.

Quicquid ex intrinsecâ necessitate & per Essentiam suam singulare est, illud non potest multiplicari, & per consequens Unum est

A 2

Atqui

Atqui Deus ex intrinsecâ necessitate, & per essentiam singularis est

E. Deus non potest multiplicari, & per consequens Unus seu Unicus est.

Idem probatur ex perspicuis scripturæ verbis Deut. VI. 4. *Audi Israel Dominus Deus noster V N V S est.* Et capit. XXXII. 39. *Videte, quod Ego, Ego inquam, ipse sum Dominus & non est Deus praeter me.* Esa. XLV. 5. *Ego Dominus & nullus ultra, praeter me non est Deus.* Marc. XII. 32. *Vnus est Deus nec alius est praeter eum.* I. Corinth. XII. 4. *Scimus idolum nihil esse in mundo, & nullum esse Deum alium nisi unum.* Nam etiam si sint, qui dicuntur Dii & in caelo & in terâ. Sicut sunt Dii multi & Domini multi (intellige, qui tales secundum infidelium opinionem habentur) nobis tamen (fidelibus rectè sentientibus) *V N V S est Deus Pater ille, à quo omnia.*

VII. *Secunda: DEVS EST SIMPLEX.* Simplex opponitur Composito, diciturque dupliciter. I. Absolutè quod planè non est compositum; componitur autem aliquid multipliciter (1) Ex materiâ & formâ (2) Ex subiecto & accidente (3) Ex partibus integrantibus (4) Ex gradibus secundum intensionem (5) Ex Essentiâ & Subsistentiâ. II. Simplex in certo genere rerum est, quod licet compositum quid sit, non tamen est compositum ex rebus certi alicujus generis. Impraesentiarum intelligitur simplex absolutè. His praemissis ita Argumentamur.

Quicquid imperfectionem importat, id in Deum non cadit.

Atqui realiter quocunque modo compositum esse imperfectionem importat.

E. Realiter quocunq; modo compositum esse in Deum non cadit, ad eoque Deus absolute & simpliciter simplex est.

Por-

Porro probatur *simplicitas Dei* ex scripturâ, & quidem ex
iis locis, ubi Deus spiritus vocatur. Sic Christus Joh. IV. 24.
Deus spiritus est, & qui adorant eum, oportet ut spiritu ac veritate
adorent. II. Corinth. III. 17. *Dominus spiritus est.*

VIII. *Tertia: DEVS EST INFINITVS.* Finitum & in-
finitum duplex est: vel enim ita dicitur Ratione Quantitatis
cum corpus aliquod est vel finitum vel infinite; vel ratione
Essentiæ, & hoc modo finitum dicitur, quod essentiam habet
certis cancellis coarctatâ, qualia finita sunt omnes creaturæ:
Hæ enim ita sunt perfectæ, ut semper alia vel pluribus perfecti-
onibus careant. Cõtra infinite ratione Essentiæ appellatur,
quod ita perfectum est, ut perfectionis suæ limites ac terminos
nullos admittat, sive ut ei nulla desit perfectio vel gradus per-
fectionis in genere Entis, qualem Essentiam solus Deus habet.
Hinc argumentamur.

Quodcunque est ENS perfectissimum, ita ut nullam
includat imperfectionem, illud est infinite.

Deus est ENS perfectissimum, ita ut nullam imperfe-
ctionem includat.

E. Deus est infinite.

Unde scriptura Psalm. CXLV. 3. *Magnus est Dominus*
& laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis, quo ni-
hil aliud, quam infinite & summa Dei perfectio denotatur.

IX. *Quarta: DEVS EST IMMENSVS.* Per im-
mensitatem Deus est ubique sive in omnibus locis existens:
Quod ut intelligatur notandum est, triplex ubi à scholasticis
statui. Primò Circumscriptivum, quod competit corporibus
& est idẽ quod locus in Physicis, qui definitur per superficiem
corporis continentis &c. Ita enim corpora existunt ut unum
altero contineatur sive circumscribatur, vel saltem circum-

A 3

scribi

scribi aptum sit, imò ut quælibet pars corporis certæ parti loci, ipsum totum verò toti loco adæquetur, nec ullatenus extra illum porrigatur.

2 X. Secundò Definitivũ, quando videlicet ita aliquid existit, ut sit in certo aliquo spatio, nec tamen ab ullo corpore circumscribatur nec circũscribi possit. tale ubi tribuitur Spiritibus creatis, Angelis nempe & animæ rationali. Hi enim, quia substantiam habent extensionis & partium omnium expertem, loco, in quo sunt, non commensurantur, nec secundũ aliquid sui in & hoc, secundũ aliud in alio loco existunt. Hinc, præsertim cũ etiam ex sacris literis constet, multos Dæmones unum hominem ingressos esse, rectè colligitur, spiritum secundũ totam substantiam suam in quovis minimo corpore, & quavis minimã ejus parte esse, quin infinitos Angelos, uno eodemque spatio contineri posse.

3 XI. Tertio datur ubi Repletivum, quando scilicet Deus est alibi ut simul omnia præsentissimè repleat. Sciendũ autem est, Deum non virtute & operatione solũ, sed essentiã & subsistẽtia quoq; ubivis esse præsentem, non quidem ita, quasi per totum orbem diffusus sit, sicut cœlum vel elementum vel aliud quoddam vastum corpus per multa locorum intervalla extensum est; Etenim, quod hoc modo extenditur, per accidens tantũ & secundũ aliquam partem in pluribus locis existit. At verò quemadmodum nullus spiritus etiam finitus secundũ partes, quippe quas non habet, in loco est, sed ubicunque est, ibi totus est, ita etiam & multò magis Deus ubique etiam extra cœlos eo modo secundũ substantiam suam existit. Nunc propositam conclusionem sic demonstramus:

Quodcunque est infinitæ Essentiæ illud etiam est infinitæ existentia id, est, immensum. Atqui

Atqui Deus est infinitæ Essentiæ.

E. Deus etiam est infinitæ existentia i. e. immensus.

Immensitas Dei ex scriptura itidem facile probatur. Psal. CXXXIX. 6. *Quò discedam à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? si enim ascendero in cælum, Tu ibies, & sisternam lectum meum in infernum, Tu ades, si sumpsero pennas aurora & habitem in extrema parte maris, etiam ibi manus tua reget me, & dextera tua prebendet me.* Jerem. XXIII. 24. *Annon cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Job. XI. 8. & 9. *Qua (perfectio Dei) cum altitudines cælorū aquet, quid efficies? cum profundior sit inferis, quid intelliges? Cujus quantitas longior est terrā & latitudo ejus major, quàm mare.* i. Reg. II. 27. *Cæli cælorum te non capiunt.*

XII. Quinta: DEVS EST IMMUTABILIS. Becanus Theologiæ scholasticæ p. i. c. 7. notat, naturam rationalem 5. modis mutari posse. (1) Quoad existentiam, ut si aliquando existat, aliquando non existat. (2) Quoad locum, ut si ex uno loco migret in alium. (3) Quoad accidentia, ut si mutetur in quantitate aut qualitate. (4) Quoad cognitionem, ut si nunc putet esse verum, quod antea falsum judicabat. (5) Quoad decretum seu propositum voluntatis, ut si nunc decernat aliquid facere, quod antea decreverat non facere. Jam verò nullo horum modorum Deum mutari posse facile probatur. Non (1) quia à nullo dependet, adeoque necessario semper existit. Neque (2) quia ubique præsens est. Nec (3) quia in illum nullum cadit accidens. Nec (4) quia de novo nihil cognoscit, nec ullā in re falli potest. Nec (5) quia voluntatem & decreta sua non mutat; vel uno verbo, quia absolutè & simpliciter simplex est. Hinc ita argumentamur: Quicquid est absolutè & simpliciter simplex, illud est prorsus immutabile. Deus est absolutè & simpliciter simplex. E. Deus est

est prorsus immutabilis. Idem docetur in sacris literis. Sic Deus ipse Malach. III. 6. *Ego Dominus, non mutor* Num. XXII. 19. *Deus non vir est, ut mentiatur, aut filius hominis, ut pœniteat: num ipse dicit, & non facit? num loquitur & non ratum faciet?* Psalm. CII. 26. & seqq. *Primum terra fundamenta jecisti & cœli sunt opus manuum tuarum: Quæ interibunt, tu autem perstas, & universa, ut vestis veterascent reg, immutante illa immutabuntur. Verùm tu idem es perpetuò & anni tui non finiuntur.*

XIII. *Sexta: DEVS EST ÆTERNVS.* Voce æternitatis nihil aliud denotatur, quàm duratio quædam. Est autem duratio duplex: *Externa & interna.* *Externa* est, quâ existentiæ unius mensuratur existentiæ alterius; qualis est tempus, quod Aristoteles definit per mensuram motus secundum prius & posterius. *Duratio interna* dicitur, quâ res in suo esse perseverat. Dividitur in *creatam & increatam.* *Creata* rursus multiplex est: nam i. alia est *permanens*, alia *successiva.* *Permanens* est, cum res simpliciter in eodem esse perseverat, qualis est duratio auri, lapidis. Ex permanentibus rursus alia est, quæ suâ naturâ *deficere non potest*, ut duratio angelorum, animæ nostræ, item corporum incorruptibilium & accidentium, quæ necessariò illis inhærent. Hæc duratio à scholasticis vocatur *ævum.* Porro alia est *substantiarum corruptibilium*, quæque in illis sunt accidentium: sicut brutum, planta, etsi diu nonnunquam durarint, tandem existere desinunt unâ cum accidentibus. Hæc duratio peculiari nomine caret. *Duratio successiva* vocatur, quando ita res durat, ut per fluxum quendam & additionem novarum partium esse perseveret, sicut ambulatio durat, quamdiu nova pars loci acquiritur. Hæc duratio iterum est *duplex* sc. vel *continua* vel *discreta.* *Continua* est *tempus*, cum enim motus omnis sit

fit aliquid successivum sed continuum, necesse etiam est, durationem ejus esse consimilem, duratio autem illa est tempus. Discreta est, quæ actibus liberis & mutabilibus angelorū sive, intellectioni & voluntati eorum competit. Vocatur aliàs instans Angelicum. Vide B. Horn. Instit. Log. l. 2. quæst. 31.

XIV. Quid & quotuplex sit duratio creata propterea adduximus, ut eò rectiùs intelligatur, quid sit duratio increata, de quâ nunc dicendum. Est autem illa nihil aliud quàm æternitas propriè dicta, quæ soli Deo competit & consistit non tantùm in eo, quòd Deus initio & fine careat, sed quòd prorsus immutabilis sit. Argumentum in formâ ita habet:

Quodcunque est immutabile, illud est æternum.

Deus est immutabilis.

Ergo. Deus est æternus.

Æternitas Dei ex scripturâ sic patet: Genes. XX. 33. *Consevit (Abraham) arboretum in Berseba, invocavitq; ibidem nomen Domini Dei æterni.* Psal. XC. 2. *Præquam montes nascerentur & terra formaretur ac orbis, à seculis usq; ad secula tu es Deus.* Esa. XLI. 4. *Ego Dominus primus & cum novissimis ego ipse.* Rom. XVI. 25. & 26. *Mysterium à temporibus secularibus tacitum nunc factum est manifestum & per scripturas propheticas ex imperio æterni Dei ad obedientiam fidei omnibus gentibus declaratum.*

XV. Septima: DEVS MENTEM ET INTELLIGENTIAM HABET. Ubi nota, intelligentiam vel scientiam dupliciter sumi. 1. Pro habitu seu actu primo, sicut Mathematicus cum dormit, quantitatis scientiam habet, nec tamen eam tum contemplatur. 2. Pro actu secundo, quando quis rem actu cognoscit. Deus non priori sed posteriori modo dicitur sciens seu intelligens. Ratio est hæc: quia operatio perfectior est habitu: appetitur enim habitus

B

pro-

propter operationem. Deinde quod ab actu primo transit ad actum secundum mutatur: In Deum autem nulla cadit mutatio, ut supra dictum. Hac igitur ratione, quâ diximus, Deus omnia cognoscit.

XVI. Porro etsi scientia Dei in se sit simplicissima & eadem cum ipsâ essentiâ, tamen propter diversitatem objecti secundarii variè distinguitur. 1. Est scientia Dei naturalis, quæ etiam simplicis intelligentiæ vocatur, quâ nimirum Deus ab æterno ante omne liberum decretum voluntatis cognovit res omnes possibles. 2. Libera, quâ post decretum suæ voluntatis absolutè & determinatè cognovit omnes res futuras. 3. Media seu conditionata, quâ ab æterno non absolutè sed sub conditione cognovit, quid homines & angeli facturi essent pro suâ libertate, si cum his vel illis circumstantiis in tali vel tali rerum ordine collocarentur. Una igitur possibilium scientia est, duæ futurorum: Et harum altera conditionata, altera absoluta. Vide Becan. Scholast. Theol. part. I. Tract. I. c. 10. q. 1.

XVII. Objectum scientiæ Dei est duplex: Primarium & secundarium. Primarium est ipse Deus: Is enim solus se ipsum perfectè novit. Secundarium objectum sunt omnes res tum possibles, tum futurae, tum præsentis sive sint necessariæ sive contingentes. Cognoscit autem Deus omnia evidentissimè, certissimè & infallibiliter & quidem sine ullo discursu: nam cum ratiocinatio contineat transitum de noto ad ignotum, Deus autem ab æterno omnia sciat & nihil ei unquâ ignotum fuerit, per discursum nullo modo cognoscit.

XIX. Tandem scientiam Dei ex duplici ratione demonstramus:

1. Quodcunq; in hoc mundo tam præclare omnia constituta

stituit, regit ac gubernat, illud mentem & intelligentiam habeat necesse est.

Atqui Deus in hoc mundo tam præclare omnia constituit, regit ac gubernat.

E. Deus mentem & intelligentiam habeat necesse est.

2. Omnis perfectio simpliciter est formaliter in Deo.

Mentem & intelligentiam habere est perfectio simpliciter.

Ergo, mentem & intelligentiam habere est formaliter in Deo.

Idem ex scripturâ facile ostenditur. Psalm. VII. 10. *Explorator cordium & renum, ô Deus juste.* Hebr. IV. 13. *Omnia sunt nuda & patentia oculis eius.* Joh. XXI. 17. *Dicit Petrus Christo: Domine, tu omnia nosti.* Rom. XVI. 27. *Solè sapienti Deo gloria per Iesum Christum in secula.*

XIX. OCTAVA: DEVS ETIAM VOLUNTATEM HABET. Quemadmodum intellectus in Deo non est per modum potentia, sed purissimi actus; ita & voluntas: nam imperfectionis est à potentia in actum deduci & hunc recipere, ut præcedente conclusione ostendimus. Porro objectum voluntatis etiam duplex est: Primarium & secundarium. Primarium est ipse Deus, secundarium creaturæ. Deus seipsum necessario amat, creaturas verò liberè. Voluntas Dei etiam si itidem sit simplicissima, respectu objecti tamè etiam variè distinguitur, scil. in voluntatem absolutam & conditionatam, antecedentem & consequentem, signi & beneplaciti. Voluntas absoluta duplex est, sc. in faciendo & imperando; Illà Deus absolute aliquid vult efficere. Hinc ea semper fit, nec resisti ei unquam potest. Unde Paulus Rom. IX. 19. *Voluntati eius quis resistet?* Et ipse Deus Esa. XLVI. 10. *Consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet:* Hæc (sc. voluntas in imperando) est, quâ Deus absolute aliquid mandat; & quoniam liberæ crea-

turæ sæpe inobædientes sunt, ea non semper impletur. Voluntas conditionata est, cū Deus sub certâ conditione aliquid vult. Huic resisti potest, & propterea, nisi conditio impleatur, efficax non est. De hac ipse salvator loquitur Matth. XXIII. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti.*

XX. Antecedens voluntas est, quâ Deus per media à se ordinata omnes homines, quantum in se est, vult salvos facere. Consequens, quâ eos, qui media à se ordinata verâ fide acceptant, vult salvare, eos verò, qui eadem media incredulitate ac impietate excludunt, damnare. De utraque loquitur Deus Ezech. XXXIII. & quidem de priori v. II. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, non delector morte impij, quin magis quam revertitur impius à viâ suâ & vixerit. Convertimini, convertimini de viis vestris malis; cur enim moreremini domus Israël? De posteriori* verò v. 13. & seqq. *Quum iusto dixerò, omnino vivet: is autem confusus de suâ justitiâ, per versè fecerit, omnium justitiarum suarum nulla erit memoria, sed in per versitate suâ, quam perpetravit, morietur. Rursum quum dixerò impio, omnino morieris & is conversus à peccato suo fecerit iudiciam & justitiam, omnia peccata ejus, quæ peccavit, non commemorabuntur ei, iudicium & justitiam fecit, ideo certissimè vivet.*

XXI. Voluntas beneplaciti vocatur, cū Deus revera aliquid vult ^{aut} nō vult. Voluntas signi, cū ex actu Dei externo nobis videtur, Deum hoc vel illud velle aut nolle. e. g. cum Deus Gen. xxii 2. præciperet Abrahamo, ut filium immolaret, putabat Abraham, Deum reverâ id velle, unde etiam filium occidere paratus erat; cū tamen Deus non mortem Isaac, sed Abrahami obedientiam saltem experiri volebat.

XXII. Voluntatem Dei ex his rationibus demonstramus:
H. alia ē voluntas efficax alia complacens. 1. O.

1. Omnis res intelligens voluntatem habet.

Deus est res intelligens.

E. Deus voluntatem habet.

2. Perfectio simpliciter, est formaliter in Deo.

Voluntatem habere est perfectio simpliciter.

E. Voluntatem habere est formaliter in Deo.

Dictis scripturæ jam supra adductis hæc addimus: Psal. CXV. 3. *Deus noster in caelo est, qui perficit, quicquid voluerit.* Eph. I. II. *Omnia efficit secundum consilium voluntatis suæ.* Apoc. IV. II. *Dignus es, Domine, qui accipias gloriam & honorem & virtutem: quia tu creasti omnia & per voluntatem tuam sunt & creata sunt.*

XXIII. Nona: DEVS EST OMNIPOTENS. Objectum omnipotentiae est possibile, idque quod simpliciter & absolute tale est, item, quod fieri potest nec ullam in Deo aut passionem aut imperfectionem includit. Distinguitur potentia Dei in absolutam & ordinatam. Absoluta est, quâ Deus agit non habitâ ratione legis aut ordinis à se instituti, seu ut Fonseca definit, per quam Deus potest facere omnia, quæ à contradictionis litigio sunt libera. Ordinata autem dicitur, quâ Deus agit secundum legem & ordinem à se institutum. Omnipotentia Dei ex lumine rationis sic probatur:

// Quodcunque est infinitæ essentiae, illud etiam est infinitæ potentiae.

// Atque Deus est infinitæ essentiae.

// E. Deus etiam est infinitæ potentiae.

// Dicta scripturæ, quibus omnipotentia Dei astruitur, itidem sunt in promptu. Genes. XVII. I. *Apparuit Abrahamo Dominus & dixit ad eum, Ego sum Deus omnipotens, ambula coram me & esto integer.* Matth. XIX. 26. *Apud Deum omnia possible sunt.* II. Corinth. VI. 18. *Ego ero vobis pro patre & vos eritis mihi pro filiis ac filiabus, dicit Dominus omnipotens.*

XXIV. *Decima: DEVS ETS BONVS ET PERFECTVS.* Bonum dicitur dupliciter. 1. In se & absolute & sic bonum idem est ac perfectum. 2. Relative seu quod est bonum alteri. Deus utroque modo bonus est. Quod ut intelligatur, una atque altera distinctio hic observanda est. Et quidem primo sciendum: perfectum duplex esse sc. in certo genere & simpliciter. Perfectum in certo genere est, cui certa aliqua perfectio contingit, etsi aliam vel pluribus aliis sit destituta. Perfectum simpliciter est, cui nulla perfectio deest. Posteriori modo Deus est perfectus. Omnis enim perfectio possibilis & quæ cogitari potest, est in Deo, ita ut sit ipsa ejus essentia, adeoque necessario ei competat nec ab eo separari ullo modo possit. Hinc per essentiam Deus bonus & perfectus est, cum creaturæ per participationem tantum tales sint. Unde Christus Luc XII. 19. *Nemo, inquit, est bonus, nisi solus Deus.*

obj.

XXV. Dicis: Si omnes perfectiones in Deo sunt, sine dubio etiam creaturarum perfectiones ipsi tribui poterunt; sed hoc videtur esse falsum: nam esse corpus, esse animal &c. sunt perfectiones, in Deum autem non cadunt. &. Perfectionem alicui vel formaliter vel eminenter inesse. Formaliter perfectio inesse dicitur, quæ secundum propriam entitatem alicui inest. Quemadmodum calor inest igni. Eminenter verò illa perfectio inesse dicitur, quæ nobilius aliquid inest cum facultate eam producendi. Sic calor inest soli. His præmissis, dico, omnes creaturarum perfectiones quidem in Deo esse, sed quasdam formaliter, quasdam eminenter. Notandum itaque, alias esse perfectiones, simpliciter, quæ nimirum in suo proprio & formali conceptu important perfectionem cum nulla imperfectione, ut intellectus, voluntas, sapientia, æternitas: alias esse perfectiones secundum quid, quæ videlicet in proprio & formali

con-

conceptu important perfectionem imperfectioni mixtam, ut natura humana, natura equi, lapidis. Prioris generis perfectiones in deo sunt formaliter; posterioris eminenter.

XXVI. Porro deus alteri bonus est dum bonitatem suam cum aliis communicat, quod dupliciter fit. 1. Naturaliter & necessario. 2. Liberè. Prius fit, cum Pater filio & uterque spiritui sancto totam suam essentiam communicat. De hac communicatione loquitur Christus Joh. XVI. 14. & 15. Ille (spiritus veritatis) *me glorificabit, quia de meo accipiet & renuntiabit vobis. Omnia, quæ habet pater, mea sunt. Propterea dixi, illum de meo accipiturum & renuntiaturum vobis.* Liberè communicat deus bonitatem suam creaturis, idq; non solum per creationem & conservationem, verum etiam per incarnationem filij dei, per regenerationem & glorificationem, de quibus suo loco pluribus dicetur. Cæterum bonitas & perfectio de deo sic demonstrari potest:

„ Quodcunque est infinitum, illud est simpliciter perfectum.

„ Deus est infinitus.

„ Ergo. Deus est simpliciter perfectus.

Ex dictis scripturæ quibus supra infinitatem dei demonstravimus, perfectio dei quoq; probatur, quibus præterea hoc addimus: Matth. V. vers. ult. *Estote perfecti, ut pater vester, qui est in cælis, perfectus est.*

XXVII. Ad bonitatem dei referimus miserencordiam, quæ deus nos peccatores prosequitur, & quoniam ex lumine rationis de eâ nobis parum constat, uno atque altero scripturæ dicto saltem eam nunc probabimus. Exod. XXXIV. 6. Moyses sic exclamat: *Dominus, Dominus est Deus misericors, beneficus, leni animo, immense bonitatis.* Luc VI. 36. ait Christus: *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.*

XXIIX. Undecima: DEUS EST JUSTUS: Ubi statim objici potest, Deum non rectè dici justum: cum nec justitia commutativa nec distributiva in eo reperiatur: quod hunc in modum probatur:

Justitia

Justitia distributiva in eo posita est, ut distribuatur bonum commune unicuique secundum merita.

Sed Deus nobis propter merita nostra nihil debet, imò pœnas potius quàm præmia meremur. Ideoque quicquid Deus nobis dat ex merâ gratiâ largitur.

Ergo à justitiâ distributiva Deus non dicitur justus.

De justitiâ commutativâ res itidem videtur esse manifesta: Hæc enim in eo consistit, ut unicuique suum reddas, vel si injuriâ aliquem affeceris, damnum resarcias. Sed neutrum Deo convenire luce meridiana clarius est. Nec enim, cum ipse nobis bona concedit, illud reddit, quod à nobis accepit; neque injuriam nobis facit, cum potius in ipsum simus injurii. Nullo igitur modo Deus justus dici posse videtur. Respondemus, hoc non obstare, quò minus justitiæ nomen Deo propriè conveniat. Etsi enim in bonorum largitione justus haut rectè dicitur, justus tamen propriè est, quando à peccantibus pœnam sumit, item cum oppressum ex manu opprimentis eripit. Ejusmodi enim actus justitiæ commutativæ esse negari nequit. Rectè itaque Deus justus appellatur. Justitia de Deo sic demonstratur:

Quicumque jus suum, seu opus legis in cordibus nostris inscripsit, ille ipse est justus.

Atqui Deus jus suum seu opus legis cordibus nostris inscripsit.

Ergo. Deus est justus.

Idem ex scripturâ probatur: Psal. XI. vers. ult. *Justus est Dominus, justitias diligit & rectum vultu suo intruetur.* Daniel. IX. 14. *Justus est Dominus noster in omnibus suis operibus, quæ egit.*

XXIX. Superfunt adhuc attributa relativa, ut, esse creatorem, conservatorem &c. verùm cum infra de creatione & conservatione nobis agendum sit, eorundem explicationem eò usque differimus, eo præsertim nomine, quòd articulus de creatione non ex lumine rationis, sed ex solâ scripturâ innotescit.



Disputatio Theologica
DE
Sanctissimo Trinitatis Mystério.

Resp. Casparo Friderico Pfeill.



Nter Christianæ fidei & religionis mysteria præcipua sunt hæc duo, scilicet Trinitatis & incarnationis, quorum hoc propter illud est revelatum. Etenim cum filium Dei propter nos & salutem nostram hominem fieri oporteret & sic duæ divinitatis personæ nobis innotescerent, revelatum est totum Trinitatis mysterium, ut nunc tres personas & non plures essentiâ divinâ contineri cognoscamus. Est autem utriusque tum Trinitatis, tum incarnationis mysterii tanta sublimitas, ut ne quidem eorum possibilitas ex solis rationis principiis haberi queat, uti rectè docet Svvaretz disp. Met. xxx. sect. xvii. n. xxix. *Si humanum ingenium, inquit, solo lumine natura discurreret, vel nunquã incideret in similes quaestiones de possibilitate horum mysteriorum, (Trinitatis & incarnationis) quin etiam in notitiam apprehensivam eorum non deveniret, vel cer- tè si audiendo aliquid vel alio casu in eas incideret, existimaret, inesse*

C

repu-

repugnantiam & contradictionem, vel ad summum, si aliquis esset nimium prudens & cordatus, intelligeret, se non posse de illis rebus iudicium ferre, quia in natura non sunt ulla principia, quae ostendant in his rebus non esse repugnantiam, nec sunt aliqua, quae repugnantiam sufficienter ostendant.

II. De mysterio Trinitatis jam in specie acturi, ad eius declarationem tria notanda proponimus. 1. Patrem, filium & Spiritum sanctum non esse tres Deos, sed unum Deum. 2. Patrem filium & Spiritum S. esse verum & æternum Deum. 3. Patrem filium & Spiritum S. esse tres personas realiter distinctas. Primum & secundum contra Arrianos & tertium contra Sabellianos probandum & defendendum est.

III. Quod antequam fiat, termini quidam in hoc mysterio occurrentes explicandi sunt, qui etsi in scripturâ non habentur, res ipsa tamen ibi invenitur. Primò quid sit persona exponemus. Solet autem persona, quam Græci ὑπόστασις vocant, communiter definiri: Quod sit substantia individua, completa, intelligens, incommunicabilis, quae non sustentatur in alio. Dicitur 1. substantia ad excludenda accidentia, quibus nec personæ nec suppositi nomen competit. Dicitur 2. substantia individua. Nam naturæ universales etiam substantiæ sunt, personæ tamen non vocantur. Dicitur 3. intelligens: Propter substantias singulares, quæ intellectu destitutæ sunt. Hæ enim non personæ sed supposita appellantur. Dicitur 4. incommunicabilis: Nam essentia divina est quidem substantia individua, intelligens, quia tamen Patri Filio & Spiritui Sancto communis est, personæ nomine non venit. Denique adjicitur: non sustentatur in alio: Ad excludendam humanam naturam Christi, quæ est substantia singularis, incommunicabilis, intelligens, quoniam autem non propriâ sed ἰσ λόγῳ substantiâ subsistit, persona non est.

IV.

persona

IV. Porro à processione unius personæ ab alia oritur in divinis personarum distinctio. Distinguuntur autem personæ S.S. Trinitatis. 1. Per actus personales seu notionales, quales sunt generatio & spiratio. Generatio est actio ad intra, quâ Pater ab æterno generat filium. Spiratio est actio ad intra, quâ pater & filius simul ab æterno spirant Spiritum S. Differunt hi actus 1. principiis: Nam generationis principium est tantum pater; spirationis tum pater tum filius. 2. Terminis: Generationis enim terminus est filius, unde dicitur genitus, spirationis Spiritus S. qui non genitus sed procedens dicitur. 3. Distinguuntur personæ divinæ per proprietates seu notiones personales, quæ sunt relationes, ut, paternitas, filiatione, processio; quarum duæ priores super generatione, tertia super spiratione fundantur. Patri tres competunt notiones, scilicet innascibilitas, generatio activa sive paternitas & spiratio activa. Filio verò duæ, ut generatio passiva sive filiatione, & spiratio activa; Spiritui S. una, nempe spiratio passiva sive processio. Ubi nota non omnes has relationes realiter à se invicem distingui, sed saltem illas, quæ sunt oppositæ, scilicet paternitatem, filiationem, processionem; Cæteræ verò quæ non oppositæ sunt, sed uni eidemque personæ conveniunt, propter diversa connotata ratione saltem distinguuntur.

V. Sunt autem tres illæ divinitatis personæ non solum realiter distinctæ, verum etiam in unâ essentiâ non quidem specie sed numero eâdem prorsus conveniunt, ita ut eadem essentia Divina, quæ est in patre, tota sit in filio, & quæ est in Patre & filio, tota sit in spiritu sancto. Hinc Pater, Filius, & Spiritus S. ab essentiâ non nisi ratione distinguuntur. Nec obstat, quod in hoc mysterio de unâ eâdemque re, e.g. de paternitate & essentiâ divinâ, communicabile & non commu-



nicabile, item esse absolutum & respectivum prædicendum. Hæc enim non realem sed virtualem saltem distinctionem inferunt, cujus fundamentum est infinita Dei perfectio. Quid autem hic sit virtualiter distingui, optimè exponit Valentia lib. 1. de Trinitate Cap. xxx. *Est distingui virtualiter, ait, nihil aliud, quam rem, quæ est paternitas, & essentia in patre, quum sit simpliciter & infinite perfecta, equivalere etiam distinctis, ut distincta sunt, atque a deo perinde sine verâ contradictione idem de illâ re, ut est paternitas, negari, & de eadem, ut essentia, affirmari posse, ac si, ut est paternitas, & ut est essentia, distingueretur re ipsa actu.*

VI. Cæterum quoniam Patris, Filii, & Spiritus S. una est essentia, omnia etiam attributa divina & quæcunque ad essentiam pertinent, tribus hisce personis æqualiter conveniunt, quin non solum hæc, verum etiam omnes operationes, quæ ad extra vocantur. Sic Pater, Filius & Spiritus S. uno intellectu cognoscunt, unâ voluntate volunt, unâ eademque potentiâ creant, conservant, gubernant. Et licet scriptura dicat patrem per filium operari Ebr. I. 2. hoc ipso tamen nihil aliud denotatur, quam quod filius potentiam illam operandi à patre habeat. Nec præterea obstat, quod singulis divinis personis opus aliquod ad extra peculiariter adscribatur, quomodo e. g. patri creatio, filio redemptio, Spiritui S. sanctificatio tribuitur: Hoc enim tantum fit per appropriationem, ut loquuntur; quia videlicet Pater per creationem, Filius per redemptionem, Spiritus S. per sanctificationem hominibus innotuerunt. Firmæ itaque manent regulæ, opera ad extra sunt indivisa, ad intra verò divisa.

VII. Hisce ita explicatis, ad probationes accedimus. Quod primam propositionem attinet, scilicet: Patrem, Filium & Spiritum S. non esse tres Deos, sed unum Deum, illa ex superio-

perioribus patet, ubi unitatem Deitum ex scripturâ tum ex ratione probavimus. Addimus in super illud, 1. Joh. V. 7. tres sunt qui testificantur in caelo, Pater, sermo & Spiritus S. & hi tres unum sunt.

VIII. Etsi autem hoc tam certum est, quam quod certissimum nihilominus tamen novi Photiniani plures Deos facere haud erubescunt. Audiatur nunc saltem Valentinus Smalcius: *Affirmamus, ait, non tantum Deum illum unum, qui pater est Christi, sed alios etiam, in quorum medio ille stetit, & qui ab illo Dii & filii altissimi sunt appellati, & inter hos suo modo Iesum Christum esse veros Deos. Non sunt enim falsi Dii: inter verum autem & falsum nullum est tertium, sed sunt contraria opposita. Certissimum igitur est non unum tantum esse verum Deum.* Hæc profectò indigna sunt, quæ confutentur, impietas enim & paganismus est. Non possumus tamen, quin paucis respondeamus. Sciendum itaque 1. Inter verum & falsum in cognoscendo & significando non dari tertium: Omnis enim propositio aut vera aut falsa est. 2. Inter verum & falsum in essendo itidem non dari tertium, si terminus qui apponitur ¹ verum proprie & in nativâ suâ significatione accipiatur. Quod si verò terminus, qui est appositus improprie sumatur, inter verum & falsum omninò datur medium. E. g. Imago Cæsaris dicitur Cæsar, quæ tamen nec verus nec falsus Cæsar est. Herodes dicitur vulpes, qui tamen nec verè nec falsò talis est. Sic etiam non sequitur, Homines & Angeli in scripturâ vocantur Dii. E. aut veri aut falsi Dii sunt; Nam Deus in his & similibus exemplis improprie accipitur. Falsissimum itaque est, aliquem esse verum Deum, qui non simul sit Deus ter optimus maximus.

IX. Tantum de prima propositione. Ad secundam nunc

progredimur, quæ ita habet. Pater Filius & Spiritus S. sunt verus & æternus Deus. Et quidem patrem esse talem, ex hæreticis nemo unquam negavit; & res per se manifesta est; De Filio verò & Spiritu S. idem invictis argumentis probari potest, ut mirum sit, homines qui Christiani audire volunt, tum olim inventos esse, tum etiamnum inveniri, qui contrarium asserant.

X. Quod itaque divinitatem Filii concernit, eam i. ex eo probamus, quod scriptura eum expressè vocet verum Deum i. Joh. V. 20. Deum supra omnia laudandum in secula Rom. IX. 5. Deum qui proprio suo sanguine Ecclesiam acquisivit. Act. XX. 28. Magnum Deum Tit. II. 13. Hæc dicta, quæ de summo & æterno Deo loquuntur, ita accipimus quemadmodum sonant i. e. in sensu proprio & genuino. Et cum à proprietate verborum non sit recedendum, nisi summa & inevitabilis cogat necessitas, ei tamdiu inhæremus, donec hæretici necessitatem illam nobis monstraverint, quod hætenus non præstiterunt, nec in æternum præstabunt.

XI. 2. Probatur eadem filii Dei divinitas ex collatione locorum V: & N. Testamenti: Etenim quæ in V. Testamento de æterno & vero Deo dicuntur, ea in N. T. Christo manifestò applicantur. Sic Num. XXI. 5. 6. 7. locutus est populus contra Deum & contra Moysen, cur effecistis, ut ascenderemus ex Ægypto, ut moreremur in solitudine? Dominus igitur misit in populum serpentes venentes, qui populum mordebant. & mortuus est ex Israele populus multus. Veniens igitur populus ad Moysen &c. Hunc locum Paulus Christo aptat i. Cor. X. 9. Ne tentemus, ait, Christum, sicut quidam eorū tentarunt & à serpentibus perierunt. Porrò Ps. XCVII. 7. Procurabite coram eo Divini, i. e. Angeli. Item Psal. CII. 26. & seqq. Tu (Domine) primum terra fundamenta jecisti & cæli

Argumentum
 Quic. è proprius et unigenitus Dei Filius, is è Deo Patri sunt
 consubstantios s. ejusdem essentia cum Deo patre.
 Christus è proprius et
 Major ex lumine nature nota. Minor expressis verbis in scrip.
 extat. vide sig. B.

sunt opus manuum tuarum: Quae interibunt, tu autem perstas: Et
 universa ut vestis veterascent, teque immutante, illa mutabuntur. Ve-
 rum tu idem es perpetuo & anni tui non finiuntur. Quod hic in
 utroque Psalmo de vero & aeterno Deo affirmatur, id Ebr. I.
Christo tribuitur. Et quidem prius v. 6. Rursum autem, ait scri-
 ptura, quum inducit primogenitum in orbem terrarum dicit, & a-
 dorent eum omnes Angeli; Posterius v. 10. & seqq. Tu initio,
 Domine, terram fundasti & opera manuum tuarum sunt caeli: ipsi
 peribunt, tu autem permanes: Et omnes ut vestimentum vetera-
 scent. Ac velut amictum circumvolves eos & mutabuntur: tu au-
 tem idem es, & anni tui non deficient.

*vide supra dis.
 de Natura the.
 P. 5.*

XII. Tertiò à generatione filii Dei firmum petitur argu-
 mentum. Nos supra exempli loco tale proposuimus:

Omnis verus & naturalis filius est ejusdem essentiae
 cum patre.

Christus est verus & naturalis Dei filius.

E. Christus est ejusdem essentiae cum patre.

Major ex lumine rationis nota est. Minor ex his scriptu-
 ræ dictis probatur: Joh. I. 14. Spectavimus gloriam ejus, gloriam
 (inquam) unigeniti egressi à patre & v. 18. Deum nemo vidit unquã:
 unigenitus ille filius, qui est in sinu patris, ille nobis exposuit: Et Cap.
 III. 16. Ita Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit.
 & Rom. IX. 32. Deus proprio filio non pepercit.

B.

XIII. Tandem ita argumentamur:

Cuicunque tribuuntur attributa divina, operationes
 divinae, & cultus divinus, ille est verus & summus Deus:

Atqui Christo tribuuntur attributa divina, operatio-
 nes divinae & cultus divinus.

E. Christus est verus & summus Deus.

Major sua luce radiat; Minorem probamus ex perspicuis
 scri.

Scripturæ dictis, Mich. V. II. Exitus ejus (Messiæ) à seculo à diebus æternis. Joh. I. I. & I. Joh. I. I. dicitur Christus in principio & à principio i. e. ab æterno fuisse. Col. II. 3. In quo (Christo) sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi. Apoc. I. 8. Ego sum a & ω i. e. principium & finis, dicit Dominus i. e. qui est & qui erat & qui venturus est, ille inquam omnipotens Joh. I. 3. Omnia per illum (sermonem) facta sunt & absq; eo factum est nihil, quod factum sit. Colof. I. 16. Per eum (Christum) condita sunt omnia, que in cælo sunt & in terrâ, visibilia & invisibilia & v. 17. Est q; ipse ante omnia & omnia per eum consistunt, i. e. conservantur Joh. XIV. 13. Quidquid petieritis in nomine meo, hoc faciam.

XIV. Porro divinitas Spiritus S. eodem modo adstruitur. Primò scriptura eum itidem expressè Deum nominat. Act. V. 3. Anania cur implevit satanas cor tuū, ut mentireris in Spiritum S. v. 4. Non es mentitus hominibus sed Deo. I. Cor. III. 16. An nescitis, vos esse templum Dei & spiritum Dei habitare in vobis. Si quis templum Dei violat, hunc perdet Deus.

XV. Secundò probatur quoque Spiritus S. divinitas ex collatione locorum utriusque testamenti. Sic quod Propheta Esa. C. VI. 8. & 9. de Jehová & vero Deo narrat, nempe, vocem Domini audiebam dicentem, quemnam mittam? aut quis ibit nobis? respondebam ergo, en ego, mitte me. Dicebat ille, vade & dicito populo isti, audiendo audite & ne intelligatis: & videndo videte, neq; cognoscatis; hoc Spiritui S. tribuit Apostolus, Act. XXVIII. 25. Rectè sanè Spiritus S. locutus est per Esaiam Prophetam patribus nostris, dicens: vade ad populum istum & dic, auditu audietis & non intelligetis & videntes videbitis & non cernentis. Item Jerem. XXXI. 33. Hoc verò fœdus est, quod faciam cum domo Israelis, post dies illos, dicit dominus, inseram legem meam in interiora eorum & in cor eorum scribam eam: Eroq; Deus eorum, ipsiq; erunt

erunt mihi populus. Quod hinc de Jehova dicit Jeremias, id Ebr. X. 15. & 16. Spiritui S. aptatur: *Testificatur autem hoc nobis ipse Spiritus S. nam posteaquam prius dixit, hoc est fœdus quod paciscar cum eis post dies illos, dicit dominus, in dam leges meas cordibus eorum & eorum mentibus eas inscribam.*

XVI. Denique probatur eadem ex divinis attributis & operationibus, quæ Spiritui S. in sacris litteris adscribuntur. Sic Psal. CXXXIX. 7. & seqq. *Quo discedam à spiritu tuo? Et quo à facie tuâ fugiam? Si enim ascendero in cœlum tu ibi es: & si sternam lectum meum in inferno, tu ades. Si sumam pennas aurora & habitem in extrema parte maris, etiam ibi manus tua reget me & dextera tua prehendet me.* I. Cor. II. 10. *Spiritus omnia scrutatur etiam profunditates Dei.* Psal. XXXIII. 6. *Verbo domini cœli facti sunt, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* I. Cor. VI. 11. *Et hac eratis unusquisque, sed abluti estis sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri.* Tit. III. 5. *Ex misericordiâ servavit nos per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S.* I. Cor. XII. 11. *Omnia hæc efficit unus ille & idem spiritus, distribuens privatim illa singulis, sicut vult.*

XVII. Superest ut evincamus, Patrem filium & Spiritum S. esse tres personas realiter distinctas, quod tertium est, in quo mysterium Trinitatis consistere supra diximus.

Primò itaque Patrem filium & Spiritum S. realiter à se invicem distingui ostendimus hoc Syllogismo.

Quorum unus est gignens & alter genitus, item unus mittens & alter missus, illi differunt realiter.

Atqui Pater in divinis est gignens & filius genitus, item Pater & Filius sunt mittentes & Spiritus S. est missus.

E. Pater Filius & Spiritus S. differunt realiter.

Major ex lumine rationis evidens est. Etenim si unus & idem esset gignens & genitus, item mittens & missus, seque-

D

retur

retur, aliquem gignere & mittere seipsum, quod manifestam contradictionem implicat. Minor probatur ex manifestis scripturæ dictis, Psal. II. 7. *Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Reliqua dicta quibus filius dicitur à patre genitus, supra §. XII. adducta sunt, quæ hîc repetere nolumus. Joh. XIV. 26. *Advocatus autè ille, id est spiritus S. què misit pater, ille vos docebit omnia.* Joh. XV. 26. *Quum autem venerit, advocatus ille, quem ego mittam vobis à patre, spiritus, inquam, ille veritatis, qui à patre emanat ille testabitur de me.*

XVIII. Porro colligitur distinctio personarum ex illis scripturæ dictis, quibus hæ tres personæ ut distinctæ expressè nominantur: II. Cor. XIII. ult. *Gratia domini Iesu Christi, & caritas Dei & communicatio Spiritus S. sit cum omnibus vobis.* Matth. XXVIII. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris filii & Spiritus S.* Et Christus de patre suo loquens, ait: *Alius est, qui testatur de me.* Joh. V. 32. Item de Spiritu S. *Ego rogabo patrem, & alium advocatum dabit vobis* C. XIV. 16. Cùm itaque alius sit Pater, alius Filius, & alius Spiritus S. pronâ & necessariâ consequentiâ sequitur, Patrem Filium & Spiritum S. realiter differre.

XIX. Secundò, Patrem Filium & Spiritum S. esse tres verè subsistentes personas, itidem probamus hoc argumento.

Cuicunque tribuuntur actiones, quæ non nisi à re intelligente proficisci possunt, id est persona;

At Patri, Filio, & Spiritui S. tribuuntur actiones, quæ non nisi à re intelligente proficisci possunt.

E. Pater, Filius & Spiritus S. sunt tres personæ

Major quæ ex lumine rationis petita est, per se patet:

Minor ex scripturâ facile probatur, & quidem de patre quin persona sit, nemo unquam dubitavit. De filio etiam res clara est. Hic enim non solum genitus est à patre,

verùm

verum etiam tales edit operationes, quæ aliunde, quam à personâ, intellectu, voluntate & facultate operandi præditâ proficisci nequeunt. Sic Joh. V. 17. Ipse Christus: *Pater meus usque adhuc operatur, & ego operor* & v. 19. *Quæcunque ille (Pater) facit, hæc etiam filius pariter facit.* v. 21. *Sicut pater suscitatur mortuos & vivificat, ita & filius quos vult vivificat.* Ebr. I. 3. *sustinet* (filius) *omnia verbo suo potente.* De Spiritu S. itidem res manifesta est. Nam consolatur, testatur, arguit, docet, loquitur, annunciat. Joh. XIV. 16. 26. Cap. XV. 26. Cap. XVI. 8. 13. Præficit Ecclesiæ suæ Episcopos Act. XX. 28. Ac non minus in ejus ac patris & filii nomine baptizamus Matth. XXII. 19. Hæc & similia, Spiritum S. æquè ac patrem & filium personam esse, satis superque evincunt, ut haud immeritò mireris hæreticorum pervicaciam, qui Spiritum S. nihil aliud quam peculiarem quandam virtutem & efficaciam Dei esse fingunt.

XX. Tertiò, ostendendum etiam est, Patrem Filium & Spiritum S. etiamsi realiter distinguantur, ab essentiâ tamen, non nisi ratione differre. Id quod hoc argumento probatur.

Quodcunque de aliquo essentialiter prædicatur, id ab eo non nisi ratione distinguitur.

Atqui De⁹ de Patre Filio & Spiritu S. prædicatur essentialiter.

E. Deus à Patre, Filio & Spiritu S. non nisi ratione distinguitur.

Major ex lumine naturæ constat. Minor ex superioribus patet, ubi Patrem Filium & Spiritum S. unum verum, æternum Deum esse ostendimus.

XXI. Quemadmodum itaque S. Sanctæ Trinitatis mysterium ex scripturâ manifestum est, ita quoque illud Ecclesia Christiana Chatholica ab initio constanter credidit, cujus doctrina tum ex unanimitate patrum tum ex symbolis ac iis, quæ hæreticis hoc mysterium impugnantibus opposita sunt,

sunt, innotescit. Consensum S. Patrum & quidem eorum, qui ante Concilium Nicœnum vixerunt, ut operosius nunc ostendamus, compendii ratio non admittit, nec opus esse videtur, ut quod ab eximiis & antiquitatis peritissimis Theologis dudum abundè est præstitum, idem hîc à nobis repetatur. Accedit quod ipsi hæretici hoc, de quo loquimur, antiquitatis testimonium non negent. Sic enim Socinus: unde factum, quòd ab ipso fermè nascentis Ecclesiæ initio, usq; ad nostra tempora, tot viri, adeo, ut nullus sit numerus, non minus pietate, quàm doctrinâ præstantissimi, tot ipsius Christi sanctissimi martyres eum alioqui gravissimum errorem secuti fuerint, quòd Christus sit Deus, qui omnia creavit, aut certè ex ipsius substantiâ genitus. Sed quòd pessimus hic hæreticus tot sanctissimis viris & Christi martyribus, quòd Christum verum Deum crediderunt, ut errorem impingat, in eo ex impio fastu ipse turpiter errat.

Epist. 3. ad
Matth.
Radecium.

XXII. Cæterum quod ipsa symbola, ex quibus mysterium Trinitatis confirmatur, attinet, eorum antiquissima sunt hæc tria. 1. Apostolicum. 2. Nicænum & Constantinopolitanum. 3. Athanasianum. Et quidem horum primum dicitur Apostolicum, non quod ab ipsis Apostolis confectum sit, ut nonnulli etiam ex veteribus volunt, sed quia breviter summâ Catholicæ illius fidei continet, quam Apostoli docuerunt & per universum orbem propagarunt. Hinc in Ecclesiâ tantam semper habuit autoritatem, ut Catechumenis tanquam regula fidei non solum propositum fuerit, verum etiam ab ipsis cum jam S. baptismo initiandi essent, recitari oportuerit. Unde S. Augustinus ista verba (loquitur de simbolo) quæ audistis, per divinas scripturas sparsa sunt, sed inde collecta & in unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret, ut omnis homo possit dicere, possit tenere, quod credit.

l. v. de sym-
bol. vel
regul. fid.
ad cate-
chumenos.

XXIII.

XXIII. Alterum symbolum diximus esse Nicænum & Constantinopolitanum. Etsi enim hæc duo aliàs distincta sunt, tum quòd distinctis temporibus sint edita, tum quòd in nonnullis discrepent; quia tamen varietas in eo tantùm consistit, 1. Quod Constantinopolitanum Nicæno, quod in his verbis *Et in Spiritum Sanctum* terminatur, reliqua quæ sequuntur adjecerit. 2. Quòd illud hoc pauculis verbis additis locupletaverit, rectè pro uno eodemque habentur. Et quidem Nicænum, quod anno CCCXXV. Imperante Constantino Magno in Concilio Nicæno contra Arium divinitatem Christi negantem, conditum, & in Constantinopolitano repetitum fuit, est tale: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem cæli & terra, visibilium & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum & ex patre natum ante omnia secula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deus verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis & incarnatus est de Spiritu S. ex Maria Virgine; Et homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, Passus & sepultus est; Et resurrexit tertiâ die secundùm scripturas. Et adscendit ad Cælos, sedet ad dexteram patris; Et iterum venturus est in gloriâ judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum (quæ sequuntur concilium Constantinopolitanum anno CCCLXXXI. sub Theodosio Magno contra Macedonium divinitatem Spiritus S. inficiantem adjecit) Dominum & vivificantem, qui ex patre (filioq;) procedit. Qui cum patre & filio simul adoratur & glorificatur: Qui locutus est per prophetas. Et unam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum: Et expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi Amen.*

XXIV. Tertium Symbolum dicitur Athanasianum, utrū verò ab ipso S. Athanasio sit compositū, an ab alio ex eius scriptis postea collectum fuerit, id dubium adhuc est. Sed parū interest hoc scire, sufficit nobis, magnæ semper auctoritatis illud in Ecclesiâ fuisse, quippe, quod mysteria Trinitatis & incarnationis, tam pulchrè & prolixè secundum scripturas exponat, ut cæterorum Symbolorum interpretatio sive uberior expositio jure meritoque dici possit. Verba ejus nota & omnibus obvia sunt, ut non opus sit ea huc transscribere.

XXV. Tandem de hæreticis, qui à Satana excitati, sanctam & adorandam Trinitatem impugnarunt, paucis etiam agemus. Et verò divinitatem filii impugnantes, alii nimis crassi, alii subtiliores fuerunt: illis annumeramus Cerinthum, Ebionem, Carpocratem, Artemonem, Theodotum Bizantium, Paulum Samosatenum & cæteros qui ante Arium vixerunt; item Marcellū & Photinum, qui post Arium, Samosateni hæresin resuscitarunt. Ad hos (nempe subtiliores) Arium cum totâ suâ factione referimus.

XXVI. Porro, Cerinthus, Ebion & qui ipsos secuti sunt, docuerunt. Christum nudum tantum hominem fuisse nec ante nativitatem suam ex Mariâ extitisse. Arius verò statuit, filiū Dei ante mundum fuisse, creaturam tamen ἐξ ἑνὸς ὄντος i. e. ex nihilo productam, qui patris in creatione instrumentum extiterit, & inde ex Maria corpus assumerit. Hic partim fraude, partim vi & favore Imperatorum, Constantii præsertim Constantini M. filii, magnum incendium in Ecclesiâ excitavit. Nam hæresis ejus non solum longè lateque disseminata fuit, verum etiam, orthodoxi passim crudelem persecutionem eo nomine passi sunt. Diutius etiam duravit, quàm ulla alia hæresis, idq; propterea, quòd præter Constantium & Valentem Imperatores, item Justinam Valentiniani Junioris matrem, barbaros quoque

quoque imperium istis seculis inundantes, ut Ostgothos in Italiâ, Westgothos in Hispaniâ, Vandalos in Affricâ, & rursus Longobardos in Italiâ habuerit patronos. Factum tamen est Dei beneficio, ut circa initium seculi octavi prorsus extincta fuerit. Post illa tempora de Photini & Arii hæresibus, in Ecclesiâ nihil fuit auditum, nisi quòd seculo XII. Abailardus Gallus Arii dogma, ut Bernhardus narrat, reducere, sed frustra, conatus est, donec circa annum XXXI. superioris seculi, Michael Servetus Photini, & Valentinus Gentilis Arii hæresin successu non usque adeò magno resuscitarunt, ex quibus deinde hodierni Photiniani seu Sociniani orti sunt, qui in Sarmatiâ & Transsilvaniâ etiamnum hærent.

Epist. 190.

XXVII. Divinitatem Spiritus S. negavit Macedonius, creaturam eum esse statuens. Ob quam causam ab Arianis ad Episcopatum Constantinopolitanum evectus fuit; quo cum paulo post, quòd filium Dei cum Arianis creaturam vocare nollet, iterum dejectus esset, missos Arianos fecit, & propriam sectam condidit, filium patri non ὁμοούσιον, ut orthodoxi, sed ὁμοιούσιον esse pertendens. Affectæ autem ejus πνευματομάχοι aliàs dicti tandem de patre & filio rectè senserunt, solâ blasphemiam in Spiritum S. retentâ, ut habet Augustinus de hæresibus c. LII.

XXVIII. Porro, Praxeas, Noëtus & ejus discipulus Sabellius, distinctionem personarum sustulerunt. Concedebant quidem, Deum in scripturâ vocari Patrem, Filium, & Spiritum S. Sed hæc tria nomina tantum esse unam eandemque personam significantia statuebant, ita ut rectè ipse pater diceretur descendisse in virginem natus item & passus. Hinc Theopaschitæ & patripassiani dicti sunt. Contrariam prorsus hæresin Paratæ & Tritheitæ excogitarunt, qui ita distinctionem personarum docuerunt, ut etiam tres Deos esse asseruerint. Sed horum admodum pauci fuerunt, ut vix eorum nomen adhuc super-

superfit. Hi sunt tum veteres, tum recentiores hæretici, qui mysterium Trinitatis impugnarunt, & sicut illos primitiva Ecclesia omnes anathematizavit, ita quoque iidem ex suprâ positis fundamentis rectè confutantur.

- XXIIX. Antequam finiamus, paucis etiam de Græcorum errore dicemus. Negant autem illi à multis jam seculis processionem Spiritus Sancti à filio, docentes, eum à solo patre procedere. Fundamenta eorum hæc sunt 1. Quòd Joh. XV. 26. Spiritus S. dicatur à patre procedere, & nec ibi, nec alibi inveniatur, eundem etiam à filio procedere. 2. Quòd illud filioq; in Symbolo veteri Constantinopolitano non habeatur, sed postea à Latinis tantum, & quidem perperam additum sit. 3. Quòd Græci Patres processionem Spiritus S. à filio non solum non profiteantur, sed quidam etiam eorum negent. 4. Quòd inde sequatur, Spiritum sanctum non unum sed duo principia suæ processionis habere, quod absurdum esse putant.

XXIX. Sed facilis est responsio. Et quidem ad primum dicimus, Christum quidem de Spiritu S. affirmare, quod à Patre procedat, sed non à solo. Addit enim in eodem loco, quem ego mittam vobis à Patre. Cùm itaque secundum Græcos Spiritus S. divina persona sit, certè à filio aliter quàm per æternam processionem mitti haut potest. Ad secundum: Nulla est consequentia, Concilium Constantinopolitanum non adjecit illud filioq;. E. Spiritus S. à solo patre procedit: eo enim tempore, non de processione sed de divinitate Spiritus S. controversia erat. Nihil itaque mirum, processionem Spiritus S. à filio tum non fuisse expressam. Ad tertium: Posito nullum processionis Spiritus S. à filio extare testimonium apud Græcos Patres, hoc sanè rei veritati non obstaret: sufficit apud Latinos æque vetustos id inveniri. Sed falsum est ab ipsis Græcis processionem illam non tradi. Audiatur nunc saltem Athanasius in symbolo: Spiritus S. à patre & filio nec factus, nec creatus, sed procedens. Ad quartum. Non sequitur Spiritus S. à Patre & Filio procedit. E. sunt duo principia illius processionis. Cùm enim unà eademque potentiâ pater & filius spirent, pro uno quoque habentur principio.

Tantum de mysterio Trinitatis.



DISPUTATIO THEOLOGICA
De Operibus Dei, seu Creatione Conser-
vatione & Gubernatione Mundi

Resp.
IOHANNES HENRICO Grathus.



Uprà, cum de DEO ejusque attributis agere-
 mus, diximus, attributa divina in triplici esse
 differentià, scil. alia negativa, alia absoluta, a-
 lia relativa. De duobus prioribus suprà tra-
 ctatum fuit, & quemadmodum ibidem de
relativis hoc in loco agere promissimus, ita nunc ex promisso
 tenemur.

p. 3. th. 5.

II. Sunt autem actiones seu opera Dei duplicia, alia ad
intra, alia ad extra. Actiones Dei ad intra sunt, quarum termi-
 nus ad quem est in ipso Deo. Et hæ sunt iterum duplices. 1.
Essentiales, quæ videlicet toti essentiæ sunt communes, ut in-
 telligere, velle, &c. 2. Notionales seu personales, quibus ipsæ
 personæ à se invicem distinguuntur, ut sunt generatio, spira-
 tio. Opera ad extra sunt, per quæ aliquid extra Deum produ-
 citur, seu quorum terminus ad quem non est in Deo, sed in
 creaturis, ut sunt creatio, conservatio, gubernatio.

III. Creatio i. sumitur proprie scil. pro productione rei
ex nihilo, sive ex nullo subjecto. Et hac ratione illa creata sunt,
 quæ in sui productione à nullo subjecto dependent, ut sunt

E materia



2 materia prima, angeli & anima rationalis. 2. Analogicè, nempe pro tali actione, quâ aliquid ex materiâ inhabili & indisposita producitur. Et hoc modo ea sunt creata, quæ Deus sex dierum spatio ex terrestri & aqueâ mole produxit. 3. pro productione uniuersi, & sic accipitur Genes. 1. In principio creauit Deus cælum & terram. Per cælum enim intelliguntur omnia corpora coelestia, per terram verò terrestria. Juxta hanc posteriorem acceptionem nos de creatione jam sumus acturi.

Defin. IV. Creatio itaque hoc modo sumpta nihil aliud est, quàm actio Dei ad extra, qua pro suo beneplacito in tempore sex dierum spatio cælum & terram & omnia, quæ iis continentur, ad nominis sui gloriam & hominis utilitatem creauit.

V. Dicitur 1. actio Dei ad extra, ut significetur causa efficiens creationis, quæ est solus Deus, ut constat ex Jes. XLIV. 24. Ego Dominus faciens omnia, cælos extendo solus, & mea virtute terram expando. Job. IX. 8. Qui solus extendit cælos, perq; summitates maris incedit. Huc etiam spectant ea scripturæ dicta, quibus Deus per creationem tanquam proprium ejus opus ab Idolis seu falsis Diis distinguitur. Sic Jer. X. 12. Dii, qui cælum & terram non condiderunt, perdentur de terra & de sub cælis ipsis. Dominus Deus est, qui terram condit suâ virtute, sapientiâ suâ orbem disponit, prudentiâ suâ cælos extendit. Psal. XCVI. 5. Siquidem cuncti Dii populorum nihili sunt, at Dominus cælos condidit. Errarunt igitur Simon Magus, Menander, Saturnius, Basilides, Cerinthus, item Carpocratiani & Gnostici, qui non Deum, sed angelos mundum produxisse statuerunt. ut refert Irenæus l. I. c. 20. Errarunt quoque Manichæi, qui quasdam substantias à vero & bono Deo, quasdam à malo principio productas esse somniarunt, ut habet Augustinus ad Quod vult Deum hæres. 46. Erraruntq; denique

que Marcionitæ, Hermogenes, & quidam ex Philosophis, qui materiam Deo coeternam facientes, productionem mundi ex nihilo negarunt.

VI. Porro quando dicitur, creationem esse actionem ad extra, sciendum est, non solum Patrem, sed & Filium & Spiritum Sanctum esse creationis causam; Nam actiones ad extra, ut supra diximus, sunt omnibus tribus personis communes, Quemadmodum etiam scriptura tum creationem, tum conservationem Patri, Filio & Spiritui S. nominatim tribuit, ut itidem supra ostendimus. Non tamen hæ tres personæ sunt causæ sociæ, ut olim nonnulli docuerunt. Etiam si enim hæc sint tres personæ, quæ creant, conservant, non tamen sunt tres potentia seu virtutes, quod ad causas socias omnino requiritur, sed est una eademq; potentia, per quam Pater, Filius & Spiritus S. creant & conservant, ita ut totus effectus à Patre, totus à filio, totus à Spiritu Sancto dependeat.

VII. Dicitur. 2. Deum pro suo beneplacito in tempore & quidem sex dierum spatio omnia condidisse. Non enim necessitate naturæ, sed voluntate liberâ creaturas produxit, ut habetur Psal. CXV. 3. Deus noster in cælis est, qui perficit quicquid voluerit. Item Ephes. I. II. Deus omnia effecit ex consilio voluntatis suæ. Nec ab æterno, sed in tempore creavit, ut patet ex C. I. I. Genes. In principio (temporis) creavit Deus cælum & terram; idq; sex dierum spatio. Potuisset quidem Deus citiùs in momento omnes res producere: sed voluit sex dies earum creationi impendere, ut hominibus exemplum daret cuncta consilio agendi, & ut festinarent lentè: ut benè explicat Hugo Grotius explicatione Decalogi.

IX. Dicitur 3. ad nominis sui gloriam & hominis utilitatem, quibus verbis causa finalis exprimitur. Et quidem fi-

nis ultimus est gloria Dei. *Cæli enim enarrant gloriam Dei & extensio opus manuum eius annunciat.* Psalm. XIX. 1. Finis intermedius est hominis utilitas : propter hominem enim omnia condita sunt: alia ipsum nutriunt, alia vestiunt, alia oblectant, alia morbos expellunt, multa ad exemplum & imitationem ipsi sunt proposita, in universum, omnia ad scientiam rerum naturalium faciunt, maximè autem hominem ad Deum cognoscendum & amandum incitant.

IX. Effectus creationis sunt creaturæ, quarum alia corporeæ sunt, alia incorporeæ. Omnes autem ut à Deo conditæ sunt, bonæ sunt, uti expressè id Scriptura asserit: Genes. I. 31. *Et vidit Deus omne quod fecerat, & ecce erat valdè bonum.*

X. Dicis: si omnia Dei opera bona sunt, unde ergo est malum? R. 1. Nullum malum formaliter esse positivum, sed privativum, adeoq; in rebus nihil ponere, sed potius aliquid tollere & remove. Quando itaq; Dei opera bona esse dicuntur, id de eorum positivâ essentiâ, quæ vel substantialis vel accidentalis est, intelligitur.

XI. R. 2. Malum duplex esse sc. naturale & morale. Naturale iterum vel spectatur ut naturale est, vel ut per id homines castigantur & sic malum poenæ dicitur. Quomocunque autem consideretur, Deus semper ejus causa est. Hinc Esa XLV. 5. dicit Deus: *Ego sum Dominus, formans lucem & tenebras, faciens pacem & creans malum.* Item I. Samuel. II. 6. scriptum est: *Dominus morte afficit & in vitam reducit.* Et Amos III. 6. *An erit malum in civitate, quod Dominus non efficiat?* Morale malum est peccatum & dicitur aliàs malum culpæ, quod est carentia perfectionis inesse debitæ secundum liberam actionem. Hujus non Deus, sed diabolus & homo causa est. Interim quia Deus summè bonus, utrumque malum tum culpæ tum

tum poenæ ad bonum dirigit. Hoc ordinat ad castigandum peccatum, illud ordinat vel ad bonum misericordiæ, nempe condonando, vel ad bonum justitiæ scil. puniendo cū temporalibus tum æternis poenis.

XII. Porro possent haud inconvenienter hęc omnia sex dierum opera explicari, sed nos nunc saltem brevem tractationem primò de angelis, & postea de homine instituemus. Nomen autem habent angeli ab officio, ad quod creati sunt; nempe dicuntur ἀγγέλοι à nunciando: sunt enim Dei nuncii. Est quidem hoc nomen pluribus rebus commune; Sic Genes. XXII. 3. dicitur Jacob *nuncios ante se premisisse ad Esau fratrem suum*. Item Ministri Ecclesiæ Dei nuncii vocantur, quippe qui *nomine Christi legatione funguntur*. II. Cor. V. 20. Ipse quoque Salvator Mal. III. 1. Angelus fœderis audit, tamen secundum communem loquendi usum Angeli appellantur substantiæ illæ simplices, intelligentes, qui sunt ministratores spiritus ministerii causâ emissi propter eos, qui heredes erunt salutis. ut loquitur Apostolus Ebr. I. 14.

XIII. Dari autem angelos ex Scripturâ unice probatur: nam etsi lumen rationis probabilia quædam argumenta suppeditat, ea tamen, cū demonstrativa desiderentur, minime sufficiunt. Missa itaque ea faciemus, & statim quid in Scriptura de Angelis nobis revelatum sit, dispiciemus. Et quidem dari angelos non solum afferit Scriptura, verum & crebras earum apparitiones narrat. Sic Ps. XCI. 11. Angelis suis tuâ causâ præcipiet, ut in omnibus viis tuis te custodiant. Psal. CIV. 5. Qui legatos suos efficit spiritus & ministros suos ignem flammantem. Ephes. VI. 12. Non est nobis lucta adversus sanguinem & carnem, sed adversus imperia, &c. Confer locum §. præc. add. ex Ebr. I. Luc. I. 11. & 26. Commemorantur duæ Angelorum

apparitiones, quarum altera Zachariæ, altera Mariæ contigit. Hæc & similia loca notanda sunt tum contra Saducæos, tum contra Anabaptistas, quorum utrique peculiares creaturas, quæ angeli vocentur, dari negarunt.

XIV. Quo tempore angeli creati sint, dubitatur. Alii ex S. Patribus eos ante hunc mundum; Alii cum eo & quidem primo statim die, cum lux crearetur, conditos esse statuerunt. Verùm prior sententia ob dicta scripturæ, quæ per existentiam ante mundum ipsam æternitatem describunt, haut subsistere posse videtur. Posterior igitur, quæ angelos cum hoc ipso mundo productos esse affirmat, nobis magis arridet, id tamen primo die factum esse sine fundamento dici existimamus. Tacente enim Scripturâ præsertim eâ in re, quæ aliunde quàm ex Scriptura cognosci nequit, nobis quoque tacendum est.

XV. Porro quid Angeli sint explicandum restat. Sunt autem i. Substantiæ simplices, non quasi nulla compositio in eos cadat: Componuntur enim ex subiecto & accidente, item ex subsistentia & essentia; sed quia neq; ex materia & forma, neq; ex partibus integrantibus compositi sunt. Nam quæ ex ejusmodi partibus constant, corpora sunt, angeli autem in Scripturâ absolutè vocantur spiritus, adeoque imateriales, immortales, incorruptibiles sint oportet. Nec obstat quòd ventus & aër, quæ corpora sunt, propter subtilitatem spiritus appellantur. Nam alia est ratio rerum intelligentium, de his enim, quando spiritus prædicatur, semper accipitur pro re incorporea, quod sic probatur: Omnis substantia intelligens, quæ in scriptura spiritus appellatur, aut est Deus, aut anima rationalis aut angelus. Jam certum est, vocem spiritus, cum de Deo & anima prædicatur, rem immaterialem denotare. Ergo idem etiam denotabit, cum de angelis prædicatur. Nulla enim potest
reddi

reddi ratio, quare vox spiritus de angelis prædicata aliter accipi debeat. Sine dubio itaq; errarunt, qui primò ex Patribus, deinde etiam ex Scholasticis angelos non eo sensu ut Deus & anima rationalis, sed ut subtilia corpora, qualia sunt ventus & aër, spiritus esse docuerunt. Tertullianus

XVI. 2. Sunt substantia completa. Nam anima rationalis est etiam substantia simplex, sed incompleta, quippe quæ tanquam essentialis pars cum corpore hominem constituit; Cùm verò angeli non alicujus partes, sed integræ substantiæ sint, rectè additur vox completa, ut hac ratione angelorum natura ab anima rationali distinguatur. Constat quidem ex sacris literis, angelos in forma hominis apparuisse, & sic corpus aliquod assumisse, sed hoc ipso eorum substantia non facta est pars, cùm in tali adsumto corpore non ut forma informans, sed saltem ut adstans sese habuerit.

XVII. 3. Sunt substantiæ intelligentes. Hoc inde probatur, quòd in scriptura angelis tales tribuantur operationes, quæ non nisi à re intelligente proficisci possunt: quales sunt Deum adorare, laudare, mandata ejus exequi &c. Est autem angelorum cognitio I. Naturalis, quâ cognoscunt seipso, alios angelos & omnes res à Deo creatas, imò ipsum Deum, quem tamen naturaliter non nisi abstractivâ cognitione cognoscunt. Futura contingentia, quæ ab agentibus liberis dependent, certò angeli non cognoscunt. Solius enim Dei hoc est, qui cor perscrutatur & renes explorat. Jer. XVII. 10. Et Salomon dicit: Tu solus novisti cor filiorum hominum. II. Par. VI 30. 2. Est cognitio angelorum supernaturalis, quâ primò per lumen gratiæ, quod ipsis concreatum fuit, ea cognoverunt, quæ aliàs creati alicujus captum superant, nimirum media illa, per quæ ad gloriam perveniendum erat. Deinde per lumen gloriæ, quod

quod ijs, qui in veritate steterunt, tantum obtigit, Deum intuitivè cognoscunt. Utrum autem mysterium incarnationis per lumen gloriæ ipsis quoq; innotuerit, dubitatur; nos existimamus, ex speciali revelatione angelos id cognovisse.

XII. Porro sicut omnis res intelligens voluntatem habet, ita etiam angeli eâ præditi sunt. Et quidem in primo statu habebant libertatem ad bonum & malum. Etsi enim ad imaginem Dei id est, in justitiâ & sanctitate conditi erant, ita ut divina præcepta perfectè servare potuerint, potestas tamen peccandi ipsis non erat adempta, quod lapsus quorundam angelorum satis testatum facit. In altero verò statu illi angeli, qui donis gratiæ rectè sunt usi, per dona gloriæ ita sunt confirmati in bono, ut nunc prorsus peccare nequeant. *Per omne enim tempus intuentur faciem Dei.* Matth. XII. 10. quod sanè fieri haut posset, si potestas peccandi in ipsis non desisset. Contra peccatores angeli cum omnibus donis gratiæ spoliati sint, nullam amplius habent libertatem ad bonum, sed necessariò mala operantur & peccant. Hinc Christus Joh. IX. 44. Diabolum vocat *Patrem mendacij, & qui ab initio fuerit homicida.* i. Joh. III. 8. dicitur *Diabolus ab initio peccare.*

XIX. Ex hoc, quòd Angeli intellectu & voluntate præditi sunt, fluit, eos quoq; facultate alios alloquendi pollere. Ita apud Zachar. II. 3. & 4. scriptum est: *Ecce autem angelus, qui mecum loquebatur, egressus est, & alius angelus ei obviam egrediebatur. Dixitq; ad eum: curre & loquere ad juvenem istum &c.* Quomodo autem angelus sive Deo sive alij angelo loquatur sive cogitationes suas manifestet, inter Scholasticos controversum est. Becanus Tom. I. tract. III. C. I. quæst. XIV. existimat I. Angelum Angelo cogitationes & desideria sua manifestare per impressionem speciei intelligibilis, idq; facere
per

per modum objecti; sicut enim calor illuminatus, qui est ob-
jectum visibile, imprimit speciem sui in oculo non impedito;
sic etiam objectum, quod actu intelligibile est, imprimere spe-
ciem sui in objecto proportionato. 2. Angelum Deo loqui
quando cogitationes aut desideria sua ad Deum dirigat, non
ut illi fiant manifesta, quippe cui nihil occultum sit, sed ut ali-
quid ab eo impetret, vel ut illum laudet, vel ut ejus majestatem
admiretur.

XX. 4. Sunt valde potentes. Id quod 1. ex eo probatur,
quod in sacris literis vocentur castra Dei Gen. XXXII. 2. Pol-
lentes virtute. Ps. CIII. 20. 2. ex variis operationibus, quæ in-
signem virtutem agendi in ipsis arguunt. Sic IV. Reg. XIX. 35.
Narratur, Angelum Dei una nocte in castris Assyriorum cente-
na octoginta quinque millia percussisse. Item Matth. IIX. 32.
Damones à Christo ejectos totum porcorum gregem in mare
precipitem dedisse. Et quamvis angeli mali per naturalem
potentiam adhuc multa possint, iis tamen à Deo non permit-
titur, ut omne id agant, quod volunt.

XXI. Extendit autem sese potentia angelorum non ad ea,
quæ finitam potentiam excedunt, & soli Deo competunt, qua-
lia sunt productio rerum ex nihilo, resuscitatio mortuorum:
sed ad ea tantum, quæ finitæ potentia sunt possibilia. Ubi por-
rò sciendum, angelos duplici modo aliquid producere posse.
1. Immediatè & per se, quomodo videlicet qualitatem spiri-
tualem vel alia, quæ ipsorum potentia proportionata sunt,
producunt. 2. mediatè, quomodo mediantibus causis natu-
ralibus & materialibus in rebus corporeis multa efficiunt, quæ
ab aliis naturalibus causis produci nequeunt. Hinc sæpè ea,
quæ patrant, nobis miracula videntur, quæ tamen talia non
sunt; vera enim miracula solus Deus edit. Id autem inde pro-
F venit,

venit, quòd applicatio agentium naturalium ad patientia, quã utuntur angeli, nos lateat. Sciunt enim illi non solùm virtutem omnium naturalium agentium longè perfectiùs, quàm homines, verùm etiam tam celeriter & sapienter ea patientibus applicare possunt, ut ex creaturis ea in re nullos habeant imitatores. Videatur c. I. Jobi. Ubi à diabolo patrata leguntur: quæ nos meritò in admirationem rapiunt.

XXII. 5. Angeli, quia finitam substantiam habent non sunt ubique, sed incerto aliquo ubi, non tamen eo modo ut corpora. Hæc enim ita alicubi existunt, ut loco seu superficie corporis continentis circumscribantur, eique commensurentur: angeli verò cum incorporei & omnis quantitatis expertes sint, nec loco circumscribuntur, nec ei commensurantur. Hinc pro lubitu modò majus modò minus spacium occupare possunt, ita tamen, ut ubicunque sint, toti sint, æquè ut anima nostra in toto corpore & in qualibet ejus minima parte tota est. Eodem modo res se habet de motu angelorum, qui est velocissimus. Job. I. 7. c. II. 2. & uti substantia eorum, ita & ipse nulli loco commensuratur.

XXIII. 6. Omnes angeli uti boni, justi, sancti, ita etiam ad bonum finem à Deo conditi sunt, nempe ut creatorem suum laudent, & æternâ felicitate gaudeant. Cùm verò quidam angelorum finem illum sint adepti, quidam eo exciderint, de lapsu & distinctione eorum non nihil dicendum est.

XXIV. Ut autem hæc omnia rectè intelligantur, tria instantia angelica, ut vocant, notanda sunt. I. Quo omnes angeli non in meris naturalibus sed in gratia, justitia & sanctitate creati sunt. Hoc inde probatur, quòd Christus Joh. II. 44. Diabolum in veritate stetisse negat. Et Judas Epist. v. 6. angelos illos non conservasse originem suam, sed reliquisse domicilium

um

um suum, scribit. (si enim mali angeli in veritate non steterunt, sed originem suam deseruerunt, sequitur eos fuisse perfectiores, quàm nunc sunt.) II. Quo boni angeli mandatis divinis obædierunt; & sic in gratia, in qua conditi erant, perseverarunt; mali verò per peccatum à Deo sese averterunt, & lapsi sunt. III. Quo boni per obœdientiam suam ad gloriam seu vitam æternam pervenerunt; mali verò omni beatitudine exclusi æternæ damnationi destinati sunt.

XXV. Quo tempore verò mali angeli desciverint, certò quidē non constat, certum tamen est, id ante hominis lapsum, cuius ipse diabolus fuit auctor, factum esse: Indubitatum quoque est eorum peccatum, sed quodnam in specie illud fuerit, itidē certò sciri haut potest. Colligitur quidem ex Esa. XIV. 12. & Ezech. XXIX. 2. id superbiam fuisse; sed hoc probabile tantum est. Nam secundum literam partim de rege Chaldæorum, partim de rege Tyri citata loca loquuntur.

XXVI. Porro numerus angelorum transgressorum etsi magnus est, certò tamen definiri nequit. Fit quidem *legionis demonum mentio* Luc. II. 30. item Apoc. XII. 4. legitur draconem illum magnum *tertiam partem stellarum* (per quas metaphoricè denotantur angeli) *cæli traxisse, quas secum in terram abjecerit*, verum ex hisce certus & determinatus eorum numerus colligi haut potest. Coeterum statim post lapsum omnibus peccatoribus angelis sine ulla veniæ spe æterna damnatio adjudicata est, juxta illud II. Petr. II. 4. *Deus angelis qui peccarunt non pepercit, sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit, damnationi reservatos*. Et Apoc. XII. 8. dicitur *Draconis & Angelorum ejus locum in cælo amplius inventum non esse*.

XXVII. Duplex autem eorum poena est. 1. Privativa si-
ve damni. 2. Positiva siue sensus. Per illam privati sunt tum
 gratiâ, quam habuerunt, tum gloriâ, ad quam nunquam per-
 venerunt. Hæc consistit in cruciatibus & suppliciis æterni i-
 gnis. Matth. XXV. 41. *Execrati, abite à me in ignem æternum,*
qui paratus est diabolo & angelis ejus. Epist. Judæ v. 7. *Ignis æ-*
terni poenam sustinent. Apoc. XX. 10. *Diabolus, qui seducebat*
eos, coniectus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi erat & be-
stia illa & ille pseudopropheta & cruciabuntur die ac nocte in
secula seculorum.

XXIX. Angeli boni etsi ab initio ortus sui gloriam seu
 æternam beatitudinem statim non sunt adepti: hæc enim
 merces ac præmium rectè factorum est; eam tamen, post-
 quam ipsorum obœdientiam Deus satis explorasset, abunde
 reportarunt, quâ, quia æterna est, excidere nunquam possunt.
 Consistit autem illa in intuitiva Dei visione, uti ex I. Cor. XIII.
 12. & I. Joh. III. 2. manifestum est. Enormiter itaque lapsus
 est Origenes, qui tum felicitatem beatorum & angelorum &
hominum, tum poenas damnatorum æternas fore negavit.

XXIX. Quantus a. sit bonorum angelorum numerus itidẽ
 certò affirmari haut potest: Maximum tamen eum esse ex his-
 ce patet dictis. Dan. VII. 10. *Millies mille ministrabant ei, ac de-*
cies mille myriades ante ipsum stabant. Apoc. V. 11. *Audivi vocẽ*
angelorum multorum, & erat eorum numerus millies centena
millia, & decies centena millia. Si de distinctione Angelorum
 quæras, respondemus, scripturam alios vocare thronos, alios
dominia, alios imperia, alios potestates. Col. I. 16. Eph. VI. 12.
 Ex quo distinctionem aliquam inter eos esse, satis apparet, u-
 trum verò quidam eorum etiam specie distinguantur, etsi
 probabile est, certò tamen demonstrari nequit. Hæc de na-
 tura

tura & statu Angelorum, nunc de officiis eorum pauca adjiciemus.

XXX. Angeli boni duplici potissimum funguntur munere. Primò D E O adstant & hymnum indefinentem canunt, uti ex visione Esaiæ elucet, quam Cap. VI. ipse sic describit: *Vidi Dominum sedere in folio sublimi & edito — & Seraphim supernè imminebant ei, & alius clamabat ad alium & dicebat, sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum.* Secundò à Deo ad homines mittuntur, ut eis ministrent & benefaciant. Sunt enim omnes ministratores spiritus, qui ministerij causa emittuntur propter eos qui heredes erunt salutis. Hebr. I. 14. Multiplex autem eorum officium esse, quo olim functi sunt & etiam num funguntur, tum exemplis tum testimoniis Scripturæ satis superq; comprobatur. Nam & hodie *castra figit angelus Domini circum eos, qui ipsum timent & eripit eos.* Psal. XXXIV. 7. Quin unicuiq; fidelium angelum custodem appositum esse, uti veteres magno consensu docent, ita haud obscurè ex Salvatoris verbis colligitur, quando Matth. XIX. 10. de parvulis hunc in modum loquitur. *Angeli eorum per omne tempus intuentur faciem patris mei, qui in cælis est.*

XXXI. Contrà mali angeli Deum & omnes obædientes creaturas odio prosequuntur, & magno conatu in id incumbunt, ut fidelibus cùm corporis tum animæ nocumentum adferant: *Obambulant enim tanquam leones rugientes: quærentes quem devorent.* I. Pet. V. 8. Exemplo potest esse Jobus, quem propterea tam atrociter afflixit diabolus, ut eximium ipsius studium pietatis labefactaret, atque eum ad peccandum incitaret. Interim Deus Opt. Max. Qui nos non sinit tentari ultra id quod possumus malorum geniorum furorem certis circumscripsit limitibus, quos transgredi ipsis non licet. Uti supra etiam diximus, & ex adducto exemplo Jobi manifestum est.

XXXII. Hæc de angelis, nunc de homine aliquid subji-
 ciemus. Est autem ille ex corpore & anima tanquam essentia-
libus partibus compositus; corpus, quoniam ex elementis
 constat, æquè ut cœtera sublunaria corpora, corruptibile est.
Anima in homine vel est generica vel specifica; Generica
 sunt anima vivens & sentiens, quæ quoniam materiales sunt
 cum corpore intereunt; specifica est anima rationalis, quæ im-
 materialis, spiritualis & immortalis est. Hinc rectè Ecclesia-
 stes. XII. 7. *Redeat pulvis (corpus) in terram, qualis fuit, &*
spiritus (anima) redeat ad Deum qui dedit illum. id est cum ho-
 mo moritur, anima, cum spiritus sit, non interit, ut corpus, sed
 recipitur à Deo, & superstes manet. Idem patet ex Matth. X. 28.
Ne timete vobis ab ijs qui trucidant corpus, animam autem non
possunt trucidare. Act. VII. 59. Dicit Stephanus: *Domine*
Iesu suscipe spiritum meum. Et Johannes Apoc. VI. 9. & 10.
Vidi sub altari animas eorum, qui mactati fuerant propter ver-
bum Dei & propter testimonium, quod tuebantur. Clamabant
autem voce magnâ, usq; quo, Domine, qui sanctus es & verax,
non iudicas ac sanguinem nostrum vindicas, eum reposcendo ab
iis, qui habitant in terra?

XXXIII. Cæterùm animam nostram immortalem es-
 se non solum ex scriptura, verùm etiam ex lumine rationis
 constat. Unde præstantissimi Philosophi immortalitatem e-
 jus agnoverunt, imò gentes, quantumvis barbaræ eam non
 negarunt. Probatur autem immortalitas animæ ex immate-
rialitate operationum: Ex iis enim, cum immaterialæ & spiri-
 tuales sint, rectè colligitur, potentiam quoque earum immate-
riatam & spirituales esse. Quòd verò operationes animæ ta-
 les sint, vel ex eo constat, quòd v. g. intelligere, velle, Deo & ho-
mini formaliter competant. Quod autem formaliter in Deo
 est,

est, id secundum rem & rationem à materia est abstractum, & quidem cum intelligere & velle in Deo & homine specie conveniant, non permissivè ut substantia, sed absolutè à materia abstracta, adeoq; prorsus immaterialia sunt. Deinde providentia & iustitia divina invictum quoque pro animæ nostræ immortalitate suppeditant argumentum. Deus enim in hac vita sæpe nec vitia punit, nec virtutes remunerat. Si itaq; anima unà cum corpore interiret, impij impunè peccarent, & pij sine præmio & solatio virtuti studerent, quod apertè divinæ iustitiæ repugnat.

XXXIV. Porro uti angeli, ita & homo in meris naturalibus non fuit creatus, sed statim cum natura eximia dona gratiæ adeptus est. Hinc scriptura eum ad imaginem Dei conditum esse asserit. Genes. I. 26. Consistit autem imago Dei in iustitia & sanctitate ut Paulus docet Eph. IV. 24. Quapropter homo hisce supernaturalibus donis instructus non solum naturalia perfectissimè habebat perspecta, verum etiam ea de Deo cognoscebat, quæ intellectus sibi relictis captum excedebant, cum primis media illa, quæ ad æternam beatitudinem consequendam ordinata erant: Deum quoq; supra omnia amare, ejusq; mandatis perfectam obædientiam præstare poterat, nec voluntas ejus in ullum bonum caducum inordinatè ferebatur. Appetitus sensitivus imperio rationis sese nunquam subducebat aut opponebat, sed summa inter hanc & illum erat conformitas. Hinc homo in statu integritatis propter corporis nuditatem non erubescibat. Et ut verbo dicam, imago Dei hominem ita decorabat, ut singulæ ejus partes divinam quandam perfectionem referrent, illæ præsertim, quæ homini competunt, quatenus talis est.

Corpus

XXXV. Corpus quoque felicitate suâ fruebatur. Erat quidem illud conditione naturæ mortale, verum cum mortalitas hominis felicitati obstaret, Deus arborem vitæ in perpetuam medicinam ipsi concedebat, quæ naturalem illam corrumperendi potentiam impediēbat, quò minus traduceretur in aeternum. Hinc si homo in statu integritatis permansisset, beneficio arboris vitæ vitam à doloribus, morbis & senio immunem, quietam, jucundam & constantem egisset, donec in celestem felicitatem translatus fuisset.

XXXVI. Præterea obtinuit homo dominium in omnia bruta animantia: Dixit enim Deus ad homines Genes. I. 28. *Subjicite eam* (terram) *& dominamini in piscem maris, & in volucrem cæli & in omnem bestiam, quæ reptat super terram.* Quod ut intelligatur, sciendum est, duplex dominium homini in bruta animantia competere. I. Naturale, quod in eo consistit, ut homo curâ & industriâ bruta sibi subjiciat. 2. Supernaturale, quo homo brutis sine studio, labore & arte solo quasi nutu imperat. Utrumque citato loco denotatur, & maximè postremum. Illud etiam post lapsum in homine mansit; hoc verò est amissum, & nunquam nisi à quibusdam paucis sanctis viris recuperatum. Sic Deus peculiari miraculo id Nox in animalia, quæ ipsi, cum in arca ea cogeret, dicto audientia fuerunt, concessit. Item Elisæo IV. Reg. II. 24. in urso; Danieli Dan. VI. 22. in Leones; Paulo Actor. XXVIII. v. 5. in viperam.

XXXVII. Si quæras, utrum imago Dei rectè donum naturale appelletur, respondemus distinguendo inter naturale, quod dupliciter dicitur. I. Idem est ac essentiale & quod ex essentia necessariò fluit. In qua significatione v. g. homini naturale est, esse animal rationale, item, esse disciplinarum capa-

capacem: quorum duo priora essentiam constituunt; posterius eam necessario consequitur, estque proprium in quarto modo. 2. sumitur naturale pro eo, quod cum natura coepit & propagatur; opponitur autem ei personale, quod non ad naturam pertinet, nec cum ea propagatur, sed saltem ad personam. Hoc sensu imago divina, qua primi parentes praediti erant, recte dicitur donum naturale, quod Adamo concessum erat, non ut eo solus gauderet, sed ut idem cum natura ad omnes posteros transmitteret. Priori autem sensu imago Dei, cum nec pars essentialis sit, nec ex essentia necessario fluat, non naturale, sed supernaturale donum est.

XXXIIX. Hæc de creatione, angelis & homine; nunc quædam de conservatione & gubernatione levi tantum brachio attingemus. Differunt autem creatio & conservatio non realiter, sed saltem ratione per diversa connotata. Eadem enim actio Dei considerata ut initium essendi rebus dedit, creatio; considerata verò ut durationem rebus largitur, conservatio appellatur. Nam quemadmodum solus Deus initio creaturas produxit, ita etiam quod in suo esse perseverent, ipsius beneficio unice acceptum ferendum est. Et quidem iis rebus, quæ incorruptibiles sunt, ita esse suum conservat, ut in ipsa creatione dedit; corruptibilium verò esse protrahit, dum nova individua substituit, ad eorumque generationem semper concurrat. Etenim res creatæ à Deo non solum dependent quoad esse, verum etiam quoad operari. Conservatio itaque operationum vocatur cooperatio seu concursus. Concurrat autem Deus cum omnium creaturarum operationibus immediate, tum immediatione suppositi, tum immediatione virtutis. Nam cum Deus omnibus rebus intimè præsens sit & substantia ejus immediate effectum contin-

G

gat,

gat, per virtutem sibi formaliter & immediatè inexistentem agat necesse est.

XXXIX. Conservatio omnium rerum à Deo creatarum earumque operationum ex scriptura sic probatur. Psal. xxxvi. 7. *Homines & jumenta servas Domine.* Sap. xi. 26. *Quoniam quid modo permansisset, quod tu noluisses? aut quod non jussisses, esset conservatum* Act. xvii. 26. & 28. *Ipsè dat omnibus vitam & halitum & omnia. In ipso vivimus & movemur & sumus.* Col. i. 17. *Est ipse ante omnia, & omnia per eum consistunt.* Hebr. i. 3. *Sustinet omnia verbo illo suo potente.* I. Tim. iv. 10. *Deus est conservator omnium hominum, maxime verò fidelium.*

XL. Porro Deus res à se dependentes non modò conservat, sed etiam gubernat & moderatur; quæ gubernatio providentia dicitur, & definitur, quod sit directio omnium rerum ad fines suos, in eo consistens, quòd Deus & novit & media largitur, per quæ unaquæque res ad finem suum pervenire queat. Hinc duplex in ea observandus est actus, scil. intellectus & voluntatis; Deus enim non solùm cognoscit omnium rerum fines, sed vult etiam, quin quantum in se est, facit, ut quælibet finem suum consequatur.

XLI. Objectum providentiæ divinæ sunt res omnes creatæ tum spirituales tum corporeæ, tum viles tum nobiles: nec enim passeres, nec gramen, nec pili hîc excluduntur. Uti expressè docet servator Matth. vi. 26. 28. 30. *Intuemini volucres cæli, non enim serunt neque metunt, neque cogunt in horea, sed pater ille vester cælestis alit eas — discite quomodo lilia agrorû augecant, non fatigantur, neque nent —, quod si herbâ, quæ hodie exstat & cras in clibanum conjicitur, Deus ita circumvestit: nonne vos multò magis, dè exigua fide præditi? & c.* Item Matt. X. 29. & 30.

29 & 30. Nonne duo passeruli affario veneunt, & unus ex eis non cadet in terram sine Patre vestro? Vestri verò etiam capilli capitis omnes numerati sunt, &c.

XLII. Dicitis: si Deus omnes creaturas ad certum finem *obi.* condidit, utque eò pertingant, ad actiones earum concurrat, unde est quòd sapiissimè secus fiat? R. Concurrere omnino *q.* Deum ad actiones omnium rerum, sed ita ut unicuique rei pro sua natura agere permittat. Distinguendū igitur est inter res, quæ necessariò, & inter eas, quæ contingenter & liberè agunt. Res, quæ necessariò agunt, finem suum ordinariè semper consequuntur. Dico ordinariè: nam efficere Deus potest, ut extraordinariè præter vel contra naturam aliquid fiat. Sic coelum naturaliter necessariò movetur; sol etiam quotidie oritur ac occidit; mare item & quilibet amnis labitur. At sol Deo volente aliquando stetit Jos. X. 13. Imò contra naturam retroactus est. II. Reg. XX. 11. Maris item rubri & Jordanis aquæ instar muri assurrexissè leguntur. Exod. XIV. 22. Jos. III. 16. II. Reg. II. 14.

XLIII. Res verò, quæ contingenter & liberè agunt, finem suum sæpe non attingunt, tum quòd ab aliis causis non rarò impediuntur, tum quòd mediis à Deo ordinatis pro libertate uti & non uti possunt. Sic fieri potest, ut quis sex digitis nascatur una in manu; item, ut homo renatus propter peccatum contra conscientiam admissum ex statu gratiæ deturbetur, & sic consequenter æternâ salute excidat. Nec tamen dicendum est, providentiam divinam sine suo frustrari, cum ejusmodi particularis finis non attingitur. Nam sufficit, quòd universalem & ultimum finem semper obtineat. Nihil enim fit sive per causas necessarias, sive contingentes sive liberas, quin vel majestas, vel sapientia, vel bonitas, vel deniq; justitia divina inde elucescat. Quo-

Quoniam pagina vacat, non possum, quin pauca isthæc subijciam & de iis Lectorem moneam.

Petrus Wittfelt Jesuita in Responso suo, quod Catho-
lische Behauptung inscribit p. 134. impingit Theologis Rin-
theliensibus, quòd in Tractatu Germanico pontificiis ante tres
annos opposito scripserint, Carolum Magnum Festo Pascha-
tis Romanum Imperatorem electum & renunciatum fuisse.
Sanè cùm primùm Wittfelti scriptum lucem aspexisset, ego
quoque putabam, nobis inadvertentibus Festum paschatis
pro Festo Nativitatis irrepsisse. Hinc in posteriore editione
idemendari curabam. Verùm cùm id jam relego, animad-

Im kurbē
Tractat.
prima edit
c. 6. p. 41.
& 42.

verto, Jesuitam mihi imposuisse & nullum prorsus errorem
in verbis, quæ Wittfelt exagitat, contineri. Habent autem
ita. Nach des Königes Pipini Todt hatte der Longobarder
König Desiderius dem Pabst zu Rom widerumb etwas entzo-
gen/und da er nicht restituiren wollen/ist er vom Carolo Magno
des Königes Pipini Sohn / auff des Pabsts inständiges anhal-
ten und bitten bekriegeret / überwunden/und also der Longobarder
Regierung ganz vertilget worden. In dem Carolus Magnus
in Italien sich auffhelt/und das Osterfest vorhanden war/begi-
bet er sich nach Rom / confirmiret auff vorhergehendes bittli-
ches suchen des Pabsts (Hadriani) die donation oder Berech-
nung seines Vaters Pipini/und wird darauff (nemlich als
er hernach zum andern mahl nach Rom kompt) vom
Pabst (Leone III.) und Römischen Volck zum Keyser erwehlet
und proclamiret &c. (Und dieses ist auff Weynachten
geschehen.) Frustra itaque Jesuita Rinthelienses Theologos
commissi erroris convincere satagit: revera enim ita res con-
tingit, quemadmodum exposuimus.


F I N I S.

99 A 6948

ULB Halle 3
002 840 022



Ruha Vb 17





DISPUTA
DECC





2.

Disputationes Theologicæ

QUIBUS

THEOLOGIA

Id est

Doctrina de Deo eiusque
attributis de Personis & Operibus divinis

EXPLICATUR

TRES

In Academia Hasso-Schaumburgica

publicæ Disquisitioni exposita

Auctore & Præside

Henrico Martino Eccardo SS. Theol.

Doct. & Professore Ordinario.



Rintelij, Imprimebat typis Petrus Lucius, Academiae Typogr.

clō Iōc LV.

